



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**


Disquisitio XI. Quanta sit Romano Pontifici authoritas erga jura Regia,  
causas Ecclesiasticas præsertim concernentia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**



state majorem communicando, sicque adeo Hierarchicæ subordinationis gradationes intra Ecclesiam decernendo: prout circa ipsam quoque Galliam à Romanis Pontificibus facturatum esse, mox ostendetur.

47. Nam quintò. Ipsemet Ellielius præfenti §. 10. profitetur, Arelatensem Episcopum in Gallia Sedis Apostolicæ Vicarium constitutum legi Epist. 5. hujus Pontificis ad Galliæ Episcopos, ubi hujus Vicariatus prærogativas etiam videre licet. Cujus Vicariatus jura latius extendisse videtur Symmachus Papa Epist. 10. ad Episc. Arelat. Eundem Vicariatum in Gallijs confirmat Auxanio Vigilius Epist. 8. & Pelagius Epist. 21. Gregorius item Magnus vices suas in Regno Childberti, usumque Pallij Vigilio Arelatenfi concessit lib. 4. Epist. 40. Ac demum Ioannes VIII. suas in Gallia vices Rothagno Episcopo Arelatenfi commisit. Idem postea titulus Bonifacio Moguntino Episcopo delatus est à Zacharia Papa Epist. 5. Rhemensis insuper Metropolitæ Primatum suæ Diœceles concessit Adrianus I. Epist. 15. ad Tilpinum Rhemensem. Trogoni Metensem Episcopo suum Vicariatum tribuit Sergius, juxta ejusdem Pontificis Epistolam relacam Tom. 7. Conciliorum columnâ 1799. Ioannes VIII. Vicariatum in Galliæ & Germaniæ provincias contulit per litteras ad Episcopos Galliæ datas, & relatas Tom. 9. Concil. pag. 221. Denique Gregorius VII. Primatum Ecclesiæ Lugdunensi concessit super quatuor Provincias, juxta litteras adductas Tomo 10. Conciliorum columnâ 220. & 221. quam Primatus, aut Vicariatus potestatem à Romanis Pontificibus Episcopis Gallicanis concessam, Ellielius circa finem disti §. 10. revocat ad sequentia capita: tum Formatarum tribuendarum, tum convocandi Concilij Diœcesani: tum referendi ad Pontificem de majoribus causis, tum cavendi, ut Canones observarentur, fidelesque maneret illibata: superaddito quandoque etiam jure appellacionum à Metropolitanorum judicijs. En igitur clara inter Galliam argumenta præminentiarum Ecclesiasticarum in Metropolitanos & Primates collata per auctoritatem Apostolicam Romanorum Pontificum.



DISQUISITIO XI.

Quanta sit Romano Pontifici auctoritas erga jura Regia, causas Ecclesiasticas præsertim concernentia?

§. I.

1. Hæc disquisitioni ansam præbent, quæ tertio Declarationis à Clero Gallicano Parisijs anno 1682. editæ articulo habentur asserta: Valere scilicet regulas, mores, & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta. Num enim sub Regni institutis ac moribus, seu regulis hujusmodi intelligendæ etiam ex consuetudine, ac præsentia Galliæ jura, quæ ex Petro Pu-

teano de particularibus seu Regni, seu Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus; nec non à Petro de Marca de concord. Sacerdotij ac Imperij; uti etiam à Richerio circa Ecclesiasticam & politicam potestatem jaçitari solent, tamen præacti Puteani volumen, statim, ac prodijt in lucem, fuerit improbatum à Rege Christianissimo simul & Gallicano Clero. Quia verò ipsissimus hic liber Regni Gallicani Politicis ut plurimum est in usu, operæpretium visum est, ejus solum Summarium limpidos vitæ sanctorum fidei puritatis studiosorum ob oculos ponere, ad effectum, à Christiani orbis partibus arceri periculosissima ejusdem axiomata. Quibus tamen consultò est præmittenda spiritualis ac temporalis potestatis distinctio ab ipsismet etiam Jurisconsultis Gallicis per Authorem tract. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 10. cap. 1. relatis egregiè asserta & comprobata.

ARGUMENTA

Caroli Fevret tract. de abusu lib. 1. cap. 7. n. 10. illius duplicis potestatis discrimen ostendentis & probantis.

2. Hic igitur Author affert in hunc finem duos sequentes Canones. Unus in Cap. Duo sunt. dist. 96. adductus ita se habet: Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Alter ab eodem citatus Canon ita se habet: Si Imperator Catholicus est, (quod salva pace ipsius, dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere: habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis Divinitus consecutus est, ut ejus beneficij non ingratus contra dispositionem celestis ordinis nil usurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis, non præferre. Idem omnibus istius distinctionis Canonibus statuitur.

3. Adducit etiam Fevretus ex Can. Quoniam. dist. 10. qui pars est Canonis, Cum ad verum. dist. 96. hæc verba nonnihil immutata: Sic Deus a se ipsis proprijs, & dignitatibus distinctis utriusque potestatis officia discrevit, ut & Christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent. & Pontifices pro cursu temporalium Imperialibus legibus uterentur. Quatenus spiritualis actio à carnalibus distet incurfibus; & militans Deo, negotijs non se implicet secularibus: ac vicissim Divina non attingat, qui est temporalibus intentus. Sunt etiam in hac dist. 10. alij Canones huc pertinentes.

4. Laudat Justiniani Novell. 6. in præm. unde parva exscribit, sed, omiffis illis, quæ clarior distinctio designant. Sic autem habet Novellæ 6. præfatio: Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à supernâ collata Clementiâ, Sacerdotum, & Imperium: illud quidem Divinitus administrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.

A a a

Ad-



5. Adjungit Fevretus; à Deo sunt immediatè Papatus & Imperium, & ideo Deus æternus duos constituit Vicarios, unum in spiritualibus, alterum in temporalibus. De Rosell. tract. De potest. Pap. & imp. duas illas potestates distinguit ex eo, quòd una exerceatur in animas, in corpus altera; quòd unius gladius spiritualis sit, alterius autem materialis; quòd non solùm actus, seu functiones, sed etiam objecta, & fines diversos habeant; quòd sint duo Principatus, duo genera hominum, duo gladij, duæ jurisdictiones; una spiritualis, altera temporalis. Addit testimonium Synesii Episcopi Tolemæidis.

6. Ex Hincmaro in epist. ad Episcopos quosdam Franciæ profert hæc verba: Sicut in Pontificibus, ac Regibus ordinum sunt divisa vocabula, ita sunt in unaquaque professione divisa ordinationum officia. Ex quodam Procuratore Regio ista; duas illas jurisdictiones, quibus principaliter mundus regitur, à Deo fuisse ab invicem separatas, distinctas, & divisas, ita ut neutra alteri subesser. Ex Poeta Gauthero in gestis Federici Enobarðæ hoc dicitur.

*Ecclesiæ regat ille suam, Divinæque jura Temperet, Imperium nobis, fascèsq; reliquat.*

Ex S. Fulgentio lib. de prædest. & grat. sequentia: Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo Christiano nemo Imperatore celsior.

7. Parum juvaret, nosse distinctionem inter duas illas potestates intercedere, nisi sciretur, quæ sint utriusque munia & officia. Hæc, ut inquit Fevretus, ab eodem Deo assignata sunt, à quo constitutæ sunt ipsæ potestates; scilicet Paralip. lib. 2. cap. 19. unde ista excerptis, aliquibus prætermittis: Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, ubicunque questio est de mandato, de lege, de ceremonijs, de justificationibus, Amarias sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Dominum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iudæ, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Et Deuteron. cap. 7. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram . . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore. Quocirca Tyrannus observat duorum jurisdictionum differentiam his verbis: In spiritualibus recursus est ad summum Pontificem, & ab inferioribus Principibus, & iudicibus secularibus ad Regem, seu Imperatorem.

8. Denique ambas illas potestates, & inter ipsarum munia distinctionem cunctis nationibus innotuisse, probat Fevretus multis auctoritatibus, quarum luculentissima videtur Bobadilla Hispani lib. 2. politic. cap. 18. cujus est ista sententia; Reipublicæ eversio ex officiorum perturbatione nascitur; speciatim, quòd potestates & Iudices Ecclesiastici, & Sæculares alteri alterorum jurisdictionem invadunt, & administrare, exercere, atque usur-

pare ambiunt utrumque gladium, non redentes, quòd Cæsaris est, Cæsari, & quòd Dei est, Deo. Ita disputat Fevretus; sed utrum cum hæc doctrinâ consentiant, quæ in duobus Tractatibus illius voluminibus scriptis, iudicabit Lector quilibet, si modò ratione utatur, & aliquam iustitiæ legem sequatur, ne dum si pietatem & Religionem,

#### ARGUMENTA

Petri de Marca lib. 2. de concord. Sacerd. & Imper. cap. 1. à n. 4. duplicis illius potestatis differentias exponens.

Hic igitur Author loco cit. ita rem hanc prosequitur. Quibus finibus regi debeant supremæ illæ potestates, inquit Marca n. 4. scilicet antiqui Patres nobis præverunt; ut difficile non sit, tritissimâ viâ eorum vestigia sectari, nisi quis male consulto, & datâ operâ in errores impingere. Regium Imperium quietem publicam; Episcoporum sollicitudo salutem æternam hominibus procurat, testante Apostolo: Reges secularibus, Pontifex spiritualibus ordinandis se impendant. Verissimè autem subiungit: Quamdiu neutra potestatem in alienos limites insilier, mutuâ concordia res Christiana amplificabitur.

In cujus etiam discriminis probationem sequentia adferuntur argumenta. Prima nempe probatio, est Olij Episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem admonitio à S. Athanasio in epist. ad solitariam vitam agentes relata: Tibi Deus, inquit Osius, imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concedidit. Et quoadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicenti ordinationi Divinæ: ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magis erimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque in Thymiamatum, & Sacrorum potestatem habere, Imperator. Constantiam illam longè postea imitatus est S. Theodorus Studita Leonem Armenum sic allocutus; ut testatur Theophrastus in vita S. Nicetæ apud Surtium ad diem 2. Aprilis: Respondit autem, & Theodorus vobis huius Ecclesiæ Magister, Dux Studitarum: nectentes nunc, & Imperator, Ecclesiasticum statum dissolvere; ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertio Pastores & Doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem, & Imperator, civilis status, & exercitus commissa est. Hæc igitur cura, Ecclesiam autem Pastores & Doctores (ut ait Apostolus) derelinquit. Ita Theodorus Leoni Armeno anno 814.

Secundâ. SS. Patres, & alios Scriptores, nonnullos etiam Imperatores refert Marca, Gregorium Nazianzenum, Isidorum Pelusiotam, Joannem Chrysostomum, Synesium, Gelasium, Symmachum, Gregorium II. Nicolaum I. Innocentium III. Metrophanem, Valentianum, Justinianum, & Ludovicum Pium. Concludit; Possent in hanc sententiam plurimos Ecclesiæ Gallicanæ Autores laudare, Hinc-



marum, Ivoem, Bernardum, Petrum Blesensem, sed satis esse duxi, in re nota parcere diligentia, quam nimia sedulitate fastidium movere Lectori. Addit tamen testimonium Lupi Ferrariensis episcopi. 18. scribentis, quod Christus potestatem suam ad gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges; ut, quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.

Reflexio

Authoris tract. de libertat. Ecclesie Gallic. cit. lib. 10. cap. 1. à n. 11.

12. Hic Author hunc in modum concludit. Nempe Petrus de Marca n. 5. dixerat, Gelasij potestatis utriusque terminos constituentis definitionem amplexos esse Gregem, Episcopos, & Proceres Ecclesie Gallicanae in Concilio Parisiensi, & in libris Capitularium. Rem eandem postea prosecutus est anno 1646. in libello Barcinone edito, & libris de concordia, dum iterum prodierunt in lucem, praefixo.

13. Posito igitur illo principio tanquam certissimo, & omnium sententia comprobato; nimis distat spirituale à temporali, sacrum à profano, quam ut possint eorum limites sinceri, ac veritatem & iustitiam potius, quam proprium commodum, & honorem sectantis Judicis cognitionem effugere. Si quæ post examen superest difficultas, aut obscuritas, ab iniquo affectu plerumque ortum habet, nec unquam vulgata illæ allegationes, executionis Canonum, possessorij, abusus Ecclesiasticæ potestatis, ac similia, probabilem æquis hominibus, nedum Deo infinitè sapienti, & iusto, efficient alienæ jurisdictionis usurpationem. Sed quoniam communia, & ut Dialectici loquuntur, abstracta non ægrè conceduntur, quia non incommodant, descendamus ad singularia, percurramusque Capita Libertatum Ecclesie Gallicanae, ad quæ revocata sunt à Puteano illarum probationes.

J. II.

Summarium ex Petri Puteani axiomatibus circa Regni Francie libertates collectum, una cum refutatione eorundem, conclusionæque super iisdem reflexivæ.

Axioma primum Puteani ex ejusdem 4. & 5. capite.

14. Hic Author locis insinuat contendit, Regios quoque Officialiales, dum sua exercent officia, non posse subijci excommunicationibus.

Refutatio istius axiomatis.

15. Auctor tract. de libert. Ecclesie Gallic. lib. 10. cap. 3. à n. 2. respondet in hæc verba. Scimus æquidem, Franciæ Regibus plurima privilegia, etiam circa censuras, à Summis Pontificibus esse concessa, quibus, ut liberè

gaudeant, nemo debet ægrè ferre. Quocirca ita monet D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 10. n. 3. Sanè dubitandum non est, quin eximia quædam jura in rebus Ecclesiasticis Reges nostri obtineant, quæ cæteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet, qui privilegiorum multitudinè ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret profectò Ecclesia Romana, nec suppeterent illi facultates, quibus cum Gallorum Regibus cecideret, nisi liberalitatis, & perfectæ donationis titulo, immensam beneficiorum suorum mole in eam contulissent. Si ergo liberalitate Pontifices rependere volunt, quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est, cur cæteri Principes nobis invident benigniorem erga Reges nostros Romanæ Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit, de privilegio quoque nobiscum certare.

16. Meruit, inquit Clemens V. in diplomate dato Lugduni Kal. Februarij Pont. sui an. 1. charissimi Filij nostri Philippi Regis Francorum illustris, sincerae devotionis ad Nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt; meruit insuper fida Regnicularum pietas, ac devotionis sinceritas, ut tam Regnum, quam Regem favore benevolo prosequamur. Meruerunt igitur Christianissimi Principes, Regnumque Christianissimum, non solum ut sua illis jura servarentur illæsa, sed præcipuis & singularibus beneficijs, gratijs, & favoribus ab Ecclesia cumularentur, quamdiu Majorum vestigia sectantes, in Ecclesiam liberaliter refunderent, & in ejus protectionem, & exaltationem inlumerent, quod accepissent ab ea.

17. Sed rem Christianissimi Regis pessimè gerunt, qui eximia, quæ ab Ecclesia obtinuit, privilegia de Jure Communi esse, aut Regiæ Coronæ propria contendunt. Cum enim ipsa rerum natura, & Juris Communis notitia, hujusmodi prærogativas Regi ob suam Coronam competere non posse, certissime suadeant, atque aliunde nullo fulciri privilegio Authores illi, acitè saltem, fateantur injuriæ ac violenter usurpatis nemo non suspicatur, quod avitam Regum Galliæ pietatem, ac gloriæ splendorem obumbrat.

18. Indultum est plerisque Regibus Gallie, ut ab alijs, quam à Romanis Pontificibus excommunicari non possent: Gallici authores generatim asseverant, Gallie Reges, & eorum Officialiales excommunicari non posse, quæ propositio non solum contra praxin antiquam, sed etiam contra fidem manifestè pugnat, si benignâ interpretatione non temperetur, ac in eo sensu intelligatur, quem præferre videntur verba, quibus apud aliquos Authores; ut apud Carolum Fevret lib. 1. de abusu cap. 6. n. 9. & sequentibus exprimitur; ut scilicet neque ab Episcopis, neque à Summo Pontifice in Principes, aut eorum Officialiales, aut Regna possint ferri censura.

19. Esse de grege Christi (verba sunt Michaelis Maucleri Doctoris Parisiensis in Tract. de monarchia Divina Ecclesiastica, & seculari Christiana par. 2. lib. 3. cap. 15.) & non subijci directioni, & correctioni Pastoris à Christo Domino super ovile suum constitui, manifesta contradictio, sine



finē extraordinaria quadam ab ipso Domino ordinata in sacris apparente Scripturis exemptione, aut miraculo aliquo, certaque revelatione alicui factā, censeri debet. Neque enim ovis aliqua sine Pastore concipi potest, nisi extra ovile vaga, & errans rapacibus lupis facta praeda, citò strangulata devoraretur, juxta illud Prophetae Regij: Erravi sicut ovis, quæ periit; unde dogma illud schismaticorum illorum tempore Henrici Imperatoris cum impietate mordicus asserentium, Regem, aut alium Principem à Romano Pontifice excommunicari non posse, hæreticum ab Ecclesia judicatum est, sacris obstitens Scripturis, Ecclesie decretis, sanctorumque Patrum doctrinis oppositum.

20. Si quis Mauclerum existimat, nimium auctoritatis Ecclesiasticæ favisse, audiat Regiæ defensorum. Insuper, inquit Iacobus Almain quæst. resumtivā de Dominio naturali civili & Ecclesiastico secundæ conclusionis 2. parte: Cū illi potestati (Ecclesiasticæ) non ex institutione humanā, sed Divinā cuncti fideles subiciantur, & quando aliquis subicitur alicui, non ex proprio consensu, sed auctoritate alicujus, non potest ab illa subiectione eximi, nisi auctoritate ejus, qui eum subiecit, vel auctoritate sui Superioris, si habeat Superiorem, hinc est, quod contra obedientiam debitam Ecclesiæ præscribi non potest, & multi Imperatores, & Reges hæc potestate fuerunt excommunicati.

21. Plurima sunt in Francorum historijs excommunicatorum, non solum à sancta Sede, vel à Concilijs, sed etiam ab Episcopis, Regum exempla, & eorum vel respicientiæ, vel castigatæ à Deo etiam in hac vita contumaciæ. De Charibero in prima Dynastia sic scribit Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 4. cap. 26. Posthæc Manovefam Merofredis fororem conjugio copulavit. Pro qua causa à S. Germano Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cū eam Rex relinquere nollit, percussa Dei judicio obiit. Nec multo post & ipse Rex post eam decessit Charibertus.

22. In secunda Dynastia Lotharius II. Imperatoris Lotharij filius ob repulsam uxorem, & superinductam pellicem à Nicolao I. excommunicationis vinculo innodatus, & ab Adriano II. datā fide de recipienda uxore, absolutus fuit. Sed Romā rediens, obiit Placentiæ, & milites ejus morbo consumpti sunt: quam mortem Regino, & Signius datæ fidei violationi adscribunt.

23. In tertia Dynastia Robertus, aliàs meritò Pij nomen consecutus, ob incestas nuptias simili censurā percussus fuerat, sed ea pœna medicina ei fuit, quæ ad salutarem eum pœnitentiam induxit. Rem scitu, & admiratione dignissimam narrat Cardinalis Petrus Damiani lib. 2. epist. 15. quæ est ad Dederium Abbatem Cassinensem, & Cardinalem, ejusque Monasterij Monachos. Robertus, inquit, Gallorum Rex avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptrā successit, propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinū per omnia collum, & caput habentem, quos etiam, virum scilicet, & uxorem, omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicare sententiā, cujus Sacerdotalis editi tantus omnem undique populū terror invastit, ut ab

ejus universi societate recederent, nec præter daret sibi servulos ad necessarij vitæ obsequium. qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabiliter judicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tantum Rex caritatus angustijs, ad sanum consilium rediens, dixerit incestum, inique legale connubium. Vides, quanta fuerit olim Regum, ac Regni Religio circa Ecclesiasticas censuras, & quanta obedientia à subditis & servis etiam Regis, adversus ipsummet Regem, Ecclesiæ præstita, sed vides etiam, quis fuerit illius religionis & obedientiæ fructus.

Philippus item i. Roberti Nepos anno 1094. in Concilio, cui Hugo Archiepiscopus Lugdunensis Legatus Apostolicus præfuit, anathemate obstrictus est, quod dimissā uxore legitimā, aliam duxisset; quæ censura confirmata est anno sequenti ab Urbano II. Papa à Gallia oriundo, in Synodo Claromontana, cui interfuerunt 13. Archiepiscopi, & 217. Episcopi; eo tamen vinculo absolutus fuit anno 1104. à Legato Patthalis II. ut docet Ivo epist. 166. & 169. Philippus etiam II. eandem expertus fuisset censuram, nisi repudiata concubinā, uxorem legitimam recepisset post interdictum Regnum. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1198. n. 9. Rex præsentiens, Legatum velle procedere contra ipsum, per Nuntios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari. Legatus, non ut appellationi desereret, sed ut differret ad tempus, quatenus mandatum apostolicum alibi commodius adimpleret, tandem apud Divionem factò Concilio, interditi sententiam promulgavit, mandans universis Francorum Prelatis sub pœna suspensionis, ut & ipsi illud observari facerent. Illorum verò nonnulli illud firmius observarunt, alij verò minimè, donec rursus ab Innocentio iussu, omnes humiliter paraverunt.

Ex quibus patet, Reges Gallie, & Regnum aliter olim de censuris Ecclesiasticis, quam modò, sensisse, easque magis reformidasse. Quamquam non desuerint etiam posterioribus sæculis similia religionis indicia. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1589. n. 16. & colligitur ex epist. 222. Cardinalis Oflati, quæ est ad Henricum IV. Regem Franciæ, Henricus III. ejus Prædecessor Ecclesiasticā sepulturā caruit à prædicto anno 1589. usque ad annum 1610. jubente Summo Pontifice ob excommunicationem, quam incurreret propter illatam Cardinali Guisio necem. Unde si qui adulatores Regibus Christianissimis persuadere nitantur, illos ab omni censurarum fulmine tutos esse, quid aliud præstant, nisi ut Principes suos falsā illā securitate ab avita religione seducant, & ad perpetranda quælibet crimina impunitatis spe alliciant: ac sic eò digniores censuris efficiant, quò eos censuras contemnere docent? Regios Officiales censuris obnoxios esse, quis dubitet? Illas etiam præterito sæculo refugisse, demonstrat exemplum Senatūs Aquensis, qui missis ad Concilium Lateranense Legatis, occurrit censuræ, ad quam infligendam se accingebat Leo X. ut perhibet acta ultimi Concilij Lateranensis Sess. 8.



26. Maxima certò cautela est adhibenda, dum de Regibus excommunicandis agitur; nec sine gravissima necessitate, ac frustra tentatis alijs medijs, illuc deveniendum. Oportet tamen, ut Principes meminerint, se, si filij sint, extra disciplinam non esse: *Quis enim filius, quem non corripit pater, ut Divinitus ratiocinatur S. Paulus ad Hebræ. 12.* Suis igitur in hoc, & in alijs gaudeat privilegijs Rex Christianissimus; sed Ecclesiam Matrem semper agnoscat, à cuius dilectione, & obedientia in rebus ad salutem animæ spectantibus nullo potest eximi privilegio, multò minus Regiæ Coronæ dignitate; ac si quid supra cæteros Principes circa res Ecclesiasticas obtinet, Ecclesiæ referat acceptum. *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegijs Apostolicis, non autem mero jure Regio, ut quidam autumabant, protestatus est in libello Barcinone edito anno 1646. Illustrissimus Petrus Marca.*

Ut autem ad Puteanum redeamus, ejusque probationum vim experiamur: Non Canones, ut postulare libertatem Gallicanarum definitio, profert, sed testimonia, quæ ipsi adverantur, vel suspecta sunt, ut probationem hæc in re nullam efficiant, v. g. n. 1. refert fragmentum vitæ Ladovici Pij Imperatoris, in quo hæc habentur: *Cùm verò rumor usquequaque diffusus sereret de cæteris, quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem, quam Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque Imperatoris voluntati: parùm quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus voluntati succumbere; sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. Ubi vides, responsum Episcoporum tribui præsumptioni audaciæ, licet tunc de Imperio ageretur.*

Sub eodem n. 1. recitat verba quædam quasi à Gallis proposita, cùm Rex Lotharius conjugem legitimam repudiasset: *Dicunt sapientes, quia iste Princeps nullorum legibus, vel judicijs subjacet, nisi solius Dei, qui eum in Regno, quod suus pater illi dimisit, Regem constituit, si voluerit pro hac, vel pro alia causa, ibit ad Placitum, vel ad Synodum, & si voluerit, liberè & libenter dimittet, & sicut à suis Episcopis quidquid egerit, non debet excommunicari, ita ab alijs Episcopis non debet judicari, quoniam solius Dei Principatui debet subijci, à quo solo potuit in Principatu constitui, & quod facit, & qualis est in regimine, Divino sit nutu; sicut scriptum est: Cor Regis in manu Dei est; quòcunque voluerit, vertet illud. Mirum, quòd non erubuerit Puteanus hoc testimonio uti, locum, unde sumptum est, designans. Audi enim, quomodò relatis his verbis, respondeat Hinemarus Rhemenis Opusc. de divortio Lotharii Regis, & Terbergæ Reginæ, unde illa extraxit Puteanus: *Hæc vox non est Catholici Christiani, sed nimium blasphemæ, & spiritu diabolico pleni, &c.* Deinde prædictam confutat objectionem.*

29. Numero secundo producit testimonium Ivonis, ut probet eum, qui à Rege in gratiam, aut ad mensam receptus sit, posse ad Communionem Ecclesiasticam admitti. Sed hoc testimonium ad suam originem relatum, ad materiam non pertinet. Excerptum enim est ex Concilio Toletano XII. cap. 3. *Edictus autem est Canon ille adversus eos, qui contra Regem, Gentem, vel Patriam egerant. Quibus, si Rex parceret, volebant Patres ab Ecclesia quoque indulgeri. Vide notas Garfisi Loaisæ in illud caput.*

30. Quæ numero quarto refert ex Matthæo Parisiensi, Historico Romanis Pontificibus parum æquo, licet, si vera sint, ostendant, Francos non omninò probasse excommunicationem, ac depositionem Friderici Imperatoris à Gregorio IX. factam; jus tamen illud penes Ecclesiam fuisse, si Imperator hæreticus extitisset, ostendunt.

31. Universitas Studij Parisiensis, cujus conclusiones sub n. 5. adducit, declarat quidem, non esse obediendum cuidam excommunicationi in Regem, & Principes latæ. Sed quid mirum, nam conclusione secundâ definit, quòd ejus censuræ Author Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cujuscunque dignitatis, nec sibi obediendum est tanquam Pastori, sub penis sanctorum schismatis; ac reverà indignissimè in in Gallia habitum, exhibet eod. n. 5.

32. Quòd autem n. 31. ejusdem Universitatis circa potestatem Ecclesiæ in Principes, præferunt hæreticos, decretum producit, alio Universitatis decreto infirmatur, de quo fit mentio apud Henricum Spondanum ad annum 1590. n. 3. qui Henrico IV. Francorum Regi, cujus occasione utrumque editum est, non potuit esse infensus, cùm multis ei nominibus debitor existeret.

Axioma secundum Puteani ex ejusdem cap. 6. & 8.

33. Hic Author locis citatis Regijs Judicibus & Officialibus tribuit facultatem eximendi à censuris. Præteritur hæc septimum cap. Puteani, quæ enim ibi dicuntur de Regis intemporalibus à Summo Pontifice independentiâ, expendenda sunt ad regulam Decretalis Innocentij III. ab eodem Puteano dist. cap. 7. n. 4. relatæ, in vi cujus Papæ negatur directæ erga temporalia jurisdictio, sed eidem indirectæ ratione scilicet peccati asseritur.

Refutatio istius axiomatis.

34. Author tract. de libert. eccles. Gallic. cit. lib. 10. cap. 4. ita respondet. Quantum ad potestatem iudicium sæcularium circa censuras, imprimis notandum est, quod in alijs fere omnibus licet observare, non solum non nisi Canonibus, sed cum Canonibus etiam pugnare, quorum observatio libertas Ecclesiæ dicitur ab ipsismet Ecclesiasticæ libertatis impugnatoribus. Senatûs consulta proferuntur ad constituendam Senatûs



tus in negotijs spiritualibus jurisdictionem; sed Summorum Pontificum Decreta & constitutiones opponimus. Si autem testimonia Pontificum tanquam in propria causa loquentium reculantur; rejiciatur autoritas secularium sibi jus dicentium; & cum de rebus Ecclesiasticis agatur, ad Canones, praesertim Conciliorum Oecumenicorum, quibus ex omnium consensu praesidet Spiritus sanctus, & adsunt etiam Laici pro jurium suorum defensione, recurratur.

35. Vult Puteanus, posse Iudices saeculares excommunicationes abusivas declarare, atque Iudices Ecclesiasticos cogere ad absolvendum ad cautelam eos, qui excommunicati fuerint. Quomodo id probat? Varijs Senatuum Placitis, ac similibus documentis. Contrarium ostenditur pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus. Utris credet Catholicus? An neutris? Stet saltem Conciliorum statutis.

36. Concilium Generale Lugdunense sub Gregorio X. cui Rex Franciae per suos Legatos interfuit, libertatem Ecclesiae circa censurarum ulum duabus Constitutionibus, scilicet 26. & 31. asseruit. Vigesima verba sunt ista: *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim & metum extortam praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuumus. Ne autem sine vindicta violentia crescat audacia, eos, qui absolutionem, sive revocationem hujusmodi sive metu extorserint, excommunicationis sententia decernimus subjicere.* Constitutio autem 31. sic se habet: *Quicumque pro eo quod in Reges, Principes, Barones, Ballivos, vel quoslibet Ministros eorum, aut quoscunque alios, excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alius in personis, aut bonis suis, vel suorum, gravandi eos, qui tales sententias praeulerunt, sive quorum sunt occasione prolata, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integrā revocaverint, vel si ad bonorum captivorem occasione ipsius licentia sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.*

37. Manifestius repugnat Concilio Tridentino doctrina Puteani cap. 6. 8. & 9. adscribentis Iudicibus saecularibus jus praecipuū Superioribus Ecclesiasticis, ut a censuris absolvant. Hæc sunt Concilij verba sessione 25. de Reformatione cap. 3. *Nefas autem sit seculari cuilibet Magistratu, prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut talem excommunicationem revocet, sub pretextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata; cum non ad saeculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Quæ ultima verba notanda sunt, ne quis existimet, praxin Gallicanorum Magistratum posse jus facere adversus hanc Ecclesiae jurisdictionem. Responsetur fortasse à Gallis hujus Concilij auctoritas: sed utrum in materia spirituali Concilio Oecumenico adhibenda sit fides potius, quam Curia saecularibus, quarum Placita proferuntur, nescio, quomodo possit à Catholicis in dubium revocari.

Quid, quod ab ipsis etiam Regibus Christianissimis illa Parliamentorum praxis fuit prohibita? Id constat ex edicto Melodunensi edito anno 1579. art. 3. à Puteano citato cap. 1. n. 2. sub finem, & relato tom. 5. parte 8. tit. 2. 2. Clorum Cleri Gallicani Prohibemus, inquit Henricus III. sigillorum Cancellariatum nostrorum Custodibus, ne rescripta Appellatoria, (Gallicè Lettres de Reliet.) expediantur, quibus jubeatur, ut in carcere detenti Iudicum Ecclesiasticorum auctoritate, illinc educantur, aut ut beneficium absolutionis illis conferatur, qui à praedictis Iudicibus fuerint excommunicati. Edicti etiam Melodunensis anno 1591. art. 18. sic decretum fuerat: *Atque, ut omnis amoveatur difficultas ab art. 18. constitutionum nostrarum Aurelianensium anni 1560. statuimus, ut Praelati, Pastores & Curati possint mentionibus & censuris Ecclesiasticis uti, in quibus licet per sancta decreta & Concilia. Refertur etiam hoc edictum loco citato dierum Cleri Gallicani, & articulus iste lectionis 11. 2. par. 1. cap. 19. ubi notatur, eum fuisse veritatum, ut illic dicitur, eà conditione, ut Clerici pro debitis pecuniarijs non excommunicentur, atque Senatūconsultum hujus edicto connotum fuisse prolatum 22. Januarij an. 1593.*

Carolus Fevret lib. 7. de abusu cap. 2. loculentius affirmat, potestatem absolvendis ab excommunicatione ad cautelam, ad Curias saeculares pertinere, quod hæresis manifesta est; nisi forte ab ea nota excusetur, quia initio illius numeri, finem excommunicationis ad cautelam, eum assignat; ut litigantes legitimam haberent personam standi in iudicio, ut testabatur, vel testes esse possint; denique, ut lis cum eo legitimo Marte decurrere possit. Verum postea defectum spirituale ejusmodi absolutionis tribuit, cum ait: *Dulce in suis Placitis, seu Arrestis lib. 2. tit. 2. Arresto 9. meministis claustrula supra posita in rescriptis Appellatorijs insertis, & ait, Curiam jure merito concedere illas absolutiones ad cautelam, cum primum Religiosum esset, ut Christianus Iohanna tyranni addictus, modis omnibus in libertatem assereretur. Dixerat autem antea, hujusmodi absolutiones regulariter quidem ab Ecclesiasticis Iudicibus impertiendas esse; quia tamen illi difficiliore, ac morosiores se præbebant, recursum esse ad Magistratus Civiles, praesertim ad Curias supremas, utpote ex Ecclesiasticis; & ex Laicis Iudicibus constantes, quasi non esset minimus in Parliamentis Senatorum Ecclesiasticorum numerus, & non haberentur hujusmodi Curia simpliciter saeculares, nullatenus autem Ecclesiasticae.*

Hæreticum igitur esset, Curias saeculares quod videtur Puteanus intendere cap. 6. praesertim in tit. 11. & in n. 19. potestatem tribuere, illos, qui verè sunt excommunicati, ab hujusmodi vinculis liberandi, & sententias de rebus spiritualibus à Iudicibus Ecclesiasticis prolatas evertendi, atque ut vulgò dicitur, cassandi & annullandi. Si autem Senatūconsulta ita interpretari pietas suadet, non ut excommunicatos absolvant, sed verè excommunicatos non esse, declarent; pra-



terquam quod extra proprios limites semper excurrunt ( Theologorum enim est, non Juris Civilis Consultorum, de censura validitate, aut invaliditate decernere, vel Episcoporum, aliorumque judicium Ecclesiasticorum, si judicialis sententia proferenda sit ) quid juvat iudicis secularis declaratio, ut a censura vinculo solvatur, qui revera illo innotatus coram Deo existit ?

41. Licet autem benignius Puteani & Fevreti mentem interpretemur, & supponamus, eos non aliter jus circa absolutiones ad cautelam vindicasse Curijs secularibus, quam ut possent imperare iudicibus Ecclesiasticis, eosque cogere ad absolvendos excommunicatos (quod tamen ipsis non licere, certum est) quomodo ferendus erit idem Fevretus in eo, quod illis Curijs permittit, quem voluerint iudicem Ecclesiasticum, quamvis personam absolvendam non sit superior, committere ? Si enim Curia ipsa neminem potest absolvere, cum non Magistratibus politicis, sed Apostolis, eorumque successoribus dictum sit *Matth. 18. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligatae & in caelo; & quaecunque solveritis super terram, erunt solutae & in caelo. Quomodo absolvendi potestatem, quam non habet, conferre poterit, praesertim cum majus aliquid sit, potestatem aliquam alteri communicare, quam per se illam exercere.*

Axioma tertium Puteani ex ejusdem 9. 10. & 11. Capite.

41. Hic Author *ibidem* contendit, causas quaecunque non posse a Francia Romam evocari, litterasque Apostolicas in Gallia executioni demandari non posse absque assensu seu Regis, seu Officialium ipsius, atque Regi fas esse, convocare Concilia Ecclesiastica.

Refutatio hujus axiomatis.

43. Author *cit. tract. cap. 5.* ita responderet. Circa *nonum* Puteani caput est distinguendum Jus Comune a privilegijs, aut concordatis particularibus, itemque causae spirituales & Ecclesiasticae a temporalibus, & secularibus. Equidem in Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. *tit. de causis, & tit. de frivolis appellationibus*, praescribitur modus procedendi in controversijs, sive in prima instantia, sive in causa appellationis, a quo non est recedendum, cum ita inter sanctam Sedem, & Franciae Regnum conveniret; ac praeterea, quae ibi constituta sunt, maxima aequitate nitantur. In causis etiam merè temporalibus, & secularibus nullo privilegio, nulloque concordato est opus, ut Galli Romam non evocentur. Caterum & contra Concordata, & contra Romani Pontificis Primatum, & supremam jurisdictionem pugnaret, qui universum assereret, in nullo casu debere Gallos in Romana Curia litigare, neque per se, neque per Procuratores.

44. Pontificis jurisdictionis usum & exercitium

Pateanus *cap. 10.* Regi Galliae, ejusque Officialibus subjicit. Vult enim Compilator ille Bullas, seu litteras Apostolicas in Gallia executioni demandari non posse absque assensu, seu, ut ipse loquitur, *absque Parentis, a Rege, vel ab ejus Officialibus* concessio. Istante sunt Ecclesiae Gallicanae libertates, ut indiscriminatum quaecunque a sancta Sede proficerentur, ab arbitrio Potestatum secularium pendeant ? Itane antiqui Galli, quorum religio tantonerè laudatur, erga sanctam Sedem se habeant ?

45. Sed qui sunt illi Canones, quibus constat hoc libertatis caput ? An Arrelta ; & litterae Regiae Canones nuncupantur ? Non enim alias inventi sui lemmatis probationes Pateanus ; & quas affert, sunt omnes schismate, a quo sunt cuncta in Gallia confusa, postiores. Dum Rex aliquid contra suum Statum a Pontificis metuere, ideoque ab illis sibi cavere velle asserit, probabilis videtur excoletio. At vero, quinquaginta mandata Summi Pontificis in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis executioni mandentur, per vim quidem, & injuriam impediri, a potestatibus secularibus potest ; nullus tamen obviare valet, quod minus quodcumque successor Petri ligaverit super terram, sit ligatus & in caelis, nisi forte, ut loquitur sanctus Paulus *1. Corinth. 10. v. 23. Dominum quis amuletur, ac fortior illo sit.*

46. Capite undecimo probat, Synodos indictas, eisque puncta tractanda proposita fuisse a Regibus Franciae, ab ipsaque postulata statutorum confirmationem, & ad executionem auxilium. In hoc quidem capite referuntur aliquorum, non quidem Generalium, sed Particularium Conciliorum fragmenta : sed non minus violatur vera libertas Ecclesiae ex consilio Authoris, si ex eo, quod olim factum est, probari intendit, non solum jus esse Principibus Synodos convocandi, illis deliberanda proponendi, illarum Canones roborandi, & executionem curandi, sed etiam sine ipsorum autoritate Praelatos non posse legitime convenire, negotia, nisi quae ipsi jusserint, definire, & fideles ad Decretorum suorum executionem obligare. Horret omnis veri Christiani animus ad doctrinam, quae fidei, ac disciplinae negat consuli posse, nisi ex praescripto Principum secularium.

47. Triplex probationum genus est in hoc *cap. 11.* *Primae* desumptae sunt ex Concilijs sub prima Regum Dynastia celebratis. *Secundae* a Concilijs habitis sub secunda Dynastia. Reliquae ex posterioribus Concilijs, & ex Curiarum secularium monumentis. *Primae* quidem ostendunt, Reges Franciae consensum convocationi Synodorum praebuisse. Qui quidem consensus honoris causa vocatur *justio*, ut in Aurelianensi I. vel praecipuo, ut in Aurelianensi II. Interdum tantum consensus, ut in Arvernensi anno 537. Aliquando invitatio, ut in Parisiensi II. Alij alijs nominibus designantur, ut animadvertere licet in exemplis a Puteano adductis.

48. Sed Synodus Turonensis II. anni 567. quam citat *n. 5.* non relatis ejus verbis, docet



et *Can. 21.* omnibus illis nominibus solum consensum esse intelligendum. Etenim quamvis Episcopi Concilij Aurelianensis I. dicant: *Clodoveum gloriosissimum Regem omnes Sacerdotes ad Concilium venire iussisse*: Concilium Turonense idem ita exprimit: *In Synodo Aurelianensi, quam invidiosissimus Rex Clodoveus fieri supplicavit.* Ubi iussionem supplicationem interpretatur, utrumque autem idem significat, scilicet consensum, quo nomine omnium maxime proprio, utitur Concilium Arvernense; ut diximus.

49. Ampliorem in Concilijs authoritatem exercuerunt Principes *secundæ* Dynastiæ. Verum id sine Summorum Pontificum assensu, imò & rogatu factum non fuisse, ostendemus, ubi de Capitularibus Regum Francorum disseremus.

50. *Quæ tertio loco* afferuntur ex Curiarum sæcularium documentis, sicut & alia quàm plurima, quæ in hoc volumine sparsa sunt, arguunt tantum Ecclesiasticam authoritatem maximum in Gallia detrimentum posterioribus sæculis passam fuisse, ac Laicos Episcoporum, & Synodorum potestatem ferè omnem ad se pedetentim traxisse; Episcopos autem, si quid præter antiquam Ecclesiæ libertatem, & Canonicam disciplinam admitterent, vel invidiosos cessasse, vel non debere in exemplum proponi, utpote qui à majoribus fuerint degeneres. Quæ ad Concilia Gallicana spectant, fusiùs disputabuntur *inferiùs Disquis. 12.* occasione Domini de Marca.

Axioma *quartum* Puteani ex eiusdem 12. 13. & 14. capite.

51. **H**ic Author *ibidem* contendit, pro authoritate Concilij Generalis supra Papam, pro appellationibus à Papa ad futurum Concilium, nec non pro libertate Conciliorum Generalium in Gallia receptionis, ac publicationis.

Resuatio hujus axiomatis.

52. **A**uthor *præinsinuati tract. cap. 6.* respondet in hunc modum. Ex comparatione Summi Pontificis cum Concilijs Generalibus, de qua *art. præced.* disputatum est, colligi potest, quid iudicandum sit de ijs, quæ *cap. 12 & 13.* probanda suscipit Puteanus. Sufficit hęc circa ejus probationes animadvertere, posse omnes in eum retorqueri, ac juxta methodum illa ipsa exempla in favorem Summorum Pontificum converti. Sunt enim exempla Episcoporum, aut Principum Summis Pontificibus repugnantium; quibus opponitur authoritas Summorum Pontificum in illis ipsis casibus Episcopis, aut Principibus præcipientium. An non æquius est, præsumere in hujusmodi disceptationibus, supremos Ecclesiæ Pastores rectè egisse, quàm inferiores jure restituisse, nisi aliunde contrarium evidentè demonstratur.

53. Sunt aliqua ex ijs exemplis magis suspecta, ita quòd n. 2. ex Glabro Rodulpho refertur, falsum esse *inferiùs* videbimus, & ex ipso Domino de Marca, qui eà etiam authoritate utitur.

*Capite 13.* Appellationum à Summo Pontifice ad Concilium profert exempla, quorum omnium vetustissimum, saltem pro Gallia, est Philippi Pulchri, quem nemo eorum, qui sanctam Sedem & Papam, ut par est, colunt, imitatione dignum iudicabit, cum nullus ex Francorum Regibus tam injuriosè Summum Pontificem habuerit. Eiusmodi res, ut obliterarentur tanquam sibi, totique Gallia probrosæ, maximeperè conatus est ipsemet Philippus. Itaque, qui eas in memoriam hominum revocant, quasi essent laudè dignæ, Regis illius honori apud veros Christianos plurimum detrahunt, ac erga sanctam Sedem, & Christi Vicarium, se non rectè affectos produunt. Quis enim ignorat, Regem illum, licet ei Benedictus XI. censurarum omnium absolutionem ultro concessisset, Clementem V. ad Pontificiam dignitatem varijs artibus evehendum curasse, ut pleniorum consequeretur remissionem? Hanc enim primam ab eo conditionem exegit. *Balthaz. histor. Univerf. Paris. tom. 4. ad an. 1305.* rem ita narrat; Rex (Philippus IV.) aliàs sibi insensum Bertrandum ad oppidum Angelinum evocat, monet, quæ agerentur, post octiduo, cum sacramento adegisse dicitur, ut quinque capita sibi, si Pontifex foret, concederet. Primum amplam veniam capti Bonifacij, læque Majestatis Pontificiæ. Ac re ipsa multo in actis Pontificijs ad illud dissidium pertinentia jussu Clementis V. deleta sunt.

Sed nec illud prætermittendum est, quòd Philippus, eique adherentes à Bonifacio VIII. appellantes, supponebant, eum non esse legitimum Pontificem, consensu scilicet, appellationem suam alioquin omni colore fore carituram. Quod ex eo etiam colligitur, quòd ad futurum legitimum Pontificem, peninere atque ad Concilium appellabant, ut haberet in instrumentis à Puteano exscriptis. In primo de Pontificis accusatoribus ista leguntur: *Moti, ut dicebant, fervore fidei, sincera devotio nis affectu, & zelo charitatis inducti, sacrosanctæ Romanæ, universali Ecclesiæ Matri suæ, quem sub dicti Domini Bonifacij præsidentiâ periculè deprimi, ac deformationem enormem, & justum pati dicebant, compatiens ab intimis, ac Christianæ fidei, in qua salus animarum consistit, & quæ suis temporibus, præh dolor miserabilis, contabescit, & deperit, ut dicebant, periculo, obvolentes, ad ipsius Ecclesiæ, & totius Christianitatis salubre regimen, & bonum statum, ac reparationem, & exaltationem Catholica fidei rati, ut dicebant, ferventibus intendentes (necessaria erat verborum illorum, ut dicebant, frequens repetitio: est enim difficile creditu, accusatores Bonifacij, zelo, quem præferebant, verè motos fuisse) maxime cum eidem Ecclesiæ, fidei fundamento, & animarum salutis summè expediat, ut Dominici gregis ovili, non nisi verus, & legitimus, ac verè & legitime electus Pastor præficeretur.*

Ipsi autem deliberantes sic concludunt: *Pro nobis, Ecclesijs, Parochijs & subditis nostris, ac pro nobis adherentibus, seu adherere volentibus in hac parte, ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum,*



& legitimū Summū Pontificē, & ad illum, vel ad illos, ad quem, vel quos de jure fuerit appellandum, provocamus, & appellamus, &c. Idem observare licet in alijs instrumentis, ut in appellatione ipsiusmet Philippi, quæ refertur n. 5. ejusdem capituli, in appellatione diversarum Civitatum linguæ Occitanæ, quæ habentur ibidem art. 7.

56. Post tempus schismatis, cujus sæpe facta est mentio (ut videas, quâ occasione, nempe dissidiū, vel schismatis, natum sit illud genus appellationum) appellarunt etiam alij Reges; sed eorum consilium intelligitur ex titulo præfixo litteris Ludovici XI. datis 20. Novembris 1478. & excerptis in eodem cap. 13. n. 12. nimirum facultatem dari Legatis Regijs appellandi ad Concilium futurum, si Papa negaret, quod ex parte Regis rogaretur, aut vellet contra ipsum, ejusque subditos procedere. Hujus Principis technam detegit Henricus Spondanus ad annum 1478. n. 8. his verbis: *Quod videlicet (ut putatur) non tam hæc serid ageret, quam ut scrupulum Pontifici moveret, in gratiam Florentinorum, hujusmodi simulationum insignis artifex &c.*

57. Non ita constans est inter Gallos doctrina sanctæ Sedis privilegijs adversa, quin anius articuli obliuiscantur, etiam dum alium statuere nituntur. Ludovicus XI. prædictis litteris appellationem ad Concilium Summo Pontifici minatur, ut propositum sibi finem consoquatur; sed ei facultatem tribuit, Principes Turcæ bellum inferre recusantes, abjiciendi & puniendi. Sed quomodo poterit Papa renitentes plectere, si ipsis liceat ad Concilium generale appellare, ad quod tamen provocat Ludovicus, si non plectat? utram appellacionem admitte? An Ludovici, an reuentionem Turcæ bellum indicere? Utramque non poterit, quia contrariæ erunt. En verba Ludovici: *Vt pacem cum Illustrissima Liga velit (Papa) componere, illam tueri, & defendere à dicto illo perfido Turco, & alijs infidelibus, & nullis confederatos, seu cum ipso perfido Turco, & immanissimo intelligentiam, aut abstinentiam Guerra habentes sustinere, aut illis favorem exhibere: quin imò tales tanquam reos criminis læsæ Majestatis Divinæ, abicere, aut punire: & casu, quo ipse Summus Pontifex præmissa facere denegaverit, seu plus debito distulerit, vel aliqua in contrarium præmissorum, aut aliquid contra nos, Regnum, & Regnicolas nostros fecerit, seu in futurum attentare præsumpserit, ad intimidandum, & appellationem ab ipso interjectam in Congregatione prædicta Aurelianensis, & de novo, si opus fuerit, appellandum ab ipso Summo Pontifice malè consulto ad eundem Summum Pontificem benè consultum, seu præfatum proximum futurum Concilium Universalis Ecclesiæ &c.*

58. Adhæc Universitas Parisiensis appellationi Philippi IV. & ipsa etiam aliquando ex eo tempore, quo cœperunt plures ejus Doctores Concilium Summo Pontifici præponere, pro suis juribus appellavit. Sed notan-

da est formula, ejus præsertim instrumenti, quod refertur à Puteano n. 5. A Sanctissimo nostro Papa Innocentio VIII. minis debite consulto, ad se ipsum melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum Universalem celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, seu ad quos de jure provocare, & appellare nobis licet, in his scriptis tam pro nobis, quam pro nostris adherentibus, & adhaerentibus, quàm etiam pro Vicarijs dictorum Magistrorum, Doctorum, & Scholarum, eorumque in beneficijs Divinis deservientium provocamus, & appellamus. Illa ad diversos Judices appellatio innuere videtur, dubitare appellantes, an ad alium, quàm ad Papam melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam de jure provocare, & appellare ipsis liceat.

59. Citat quidem in fine dicti cap. 13. appellationes aliorum extra Galliam Principum, sed nihilo laudabiliores. Prima, & antiquior Philippi Regis, est Friderici II. Imperatoris, seu ejus Legati, quem ceteri Principes imitari videntur. Verùm Friderici Legatus non à Papa ad Concilium, sed à Concilio generali, scilicet Lugdunensi primo ad aliud generalius provocavit, sub eo prætextu, qui à quovis facile poterit obtendi, ut omnia Ecclesiastica judicia eludat, quòd illud non esset satis generale.

60. Libera erit omninò Gallia, sed à justitia, si posteriores quidam ejus libertatis vindictes audiantur. Nam si Pontificis decreta non arrideant, vel omninò contemnentur, utpote offensentia regulas, mores, instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, vel ab eis ad futurum Concilium provocabitur. Concilij autem decreta non recipientur, atque adeò non obligabunt, juxta illorum Scriptorum doctrinam. Non hæc quidem protuli, inquit Ioannes Gerbalius dissert. de caus. major. art. 12. n. 6. ut ab hac Tridentini Concilij singulari lege eximantur Galli, cum ne ulla quidem alia, acceptationis desectu, eos liget. Ægrè ferrent hæc verba aures verè Catholicæ à Procuratore Regio prolata; sed quis à Theologo possit hæc audire? Quid igitur, acceptatio à Clero facta nullam inducit obligationem? Itane mutata est postremis his temporibus auctoritas Conciliorum Oecumenicorum? Clerus Gallicanus anno 1625. Parisijs congregatus professus est, se teneri ad observationem Concilij Tridentini, Gerbalius e contra nullà ejus lege Gallos ligari, affirmat.

61. Falsum est, ut in 2. lib. demonstravimus, acceptationem esse necessariam, ut lex justa obliget: & falsum est, nullam Concilij Tridentini legem fuisse acceptatam in Gallia, Utramque falsitatem evertit decretum Cleri Gallicani prædicto anno 1625. editum tom. 1. Actorum Cleri, & à Puteano cap. 14. n. 3. relatum. Ejus decreti verba latine reddita sunt ista: Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & alij Ecclesiastici viri, representantes Clerum universum Franciæ, congregati annuente Rege, Parisijs in Conventu Augustinianorum, post maturam circa publi-





cationem Concilij Tridentini deliberationem unanimiter agnoverunt, & declaraverunt agnoscunt, & declarant, se obligari pro suo officio, & conscientia ad recipiendum, sicut re ipsa receperunt, & recipiunt præfatum Concilium, & spondent, se illud observaturos, quantum possunt per functionem suam, & auctoritatem spiritualem, & Pastoralem. Quæ deliberatio singulorum subscriptionibus, ac juramento ad sancta Evangelia, confirmata fuit. Recepit igitur tunc temporis Clerus Gallicanus Concilium Tridentinum, & professus est, se teneri non solum ad observandum Concilium, postquam illud acceptasset, sed etiam ad illud acceptandum. Augustissimus erat Cætus; siquidem aderant tres Cardinales, quinquaginta Episcopi, triginta verò *secundi* Ordinis. Non fuit præceptus deliberatio, cum antea sæpissime, vehementissimeque institissent Prælati apud Reges, ut reciperent Concilium, quod testantur acta Cleri quàm plurima, citata à Puteano, *ubi supra*; acceptatum præterea fuit in varijs Concilij Provincialibus.

62. At non fuit acceptatum à Rege; ne id quidem verum usquequaque est, quandoquidem multa ejus decreta in ordinationes Regias translata sunt; sed quare non fuit absolute receptum? Causas in *1. lib.* notavimus. Hoc tantum monemus eos, qui vim legum Ecclesiasticarum à principum arbitrio pendere volunt, ut considerent, quantum periculi subitara sit Religio, si principes mali extiterint.

63. Oblitus est Puteanus in hoc capite protestationis à se factæ in præfatione ad Lectorem. Ibi enim ait, summopere cautum est, ne quid ex actis deduceretur, aut quæ inde sequantur, declararentur. *Faciet quisque, ut sibi videbitur.* In hoc autem *cap. 14. n. 2.* relatâ declaratione Caroli VII. Francorum Regis, addit; Ex hoc instrumento inferitur, Decreta Conciliorum Generalium, quæ ad politiam spectant, effectum in Francia non sortiri, nisi Regum nostrorum edicta accedant. De facto duntaxat eum loqui crederem, nisi titulo capituli ad Conciliorum Generalium receptionem, & publicationem in Francia, non solum permissionem, sed etiam auctoritatem Regis concurrere statuisset.

64. Cæterum in pluribus famosa Pragmaticæ Sanctionis locis indicatur, non ita liberum esse Gallis, Decreta Conciliorum Generalium respuere, vel immutare, v. g. in litteris, quæ Decreta præcedunt, habetur hæc declaratio: *Sacra Basiliensis Synodi decreta, & ordinationes & statuta aliqua simpliciter, ut jacent, alia verò cum certis modificationibus, & formis non hesitatione potestatis, & auctoritatis condentis, & promulgatis, ipsius scilicet sacra Basiliensis Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus regionum, & personarum sæpè satorum nostrorum Regni, & Delphinatus congruere, convenireque conspexerunt; prout inferius plenius annotatur, & inseritur, illud indilate recipienda consenserunt, & acceptanda deliberaverunt.* Circa varia etiam decreta Congregatio Gallicana,

dum illa temperanda censet, ad Concilium recurrendum monet, ac generatim in conclusionem ait; *Illæ decreta, circa quæ fuerint factæ prenotatæ modificationes, acceptentur, prout etiam acceptantur.* *Sab spe scilicet, quod ipsæ modificationes per sacrum Concilium admittentur; Pro quo Regi Oratores instabunt vice Regi, & Ecclesiæ Regni, & Delphinatus.*

Axioma quintum Puteani in 15. ac intermedijs capitibus ab eodem deductum usque ad caput vigesimum secundum.

Hic Author *cap. 15.* prosequitur ea, que spectant ad Prælaturarum Ecclesiasticarum dispositionem: capite autem *decimo sexto* agit de materia Regaliæ: capite *decimo septimo* de juramento fidelitatis ab Episcopis Regi præstando: capite *decimo octavo* agit de fidelitatis Episcoporum à Rege præcipiendâ: *decimo nono* capite de licentiâ Regis ab Episcopis requirendâ, ut extra Franciæ Regnum ipsis fas sit, etiam Romam proficisci. In capite porro *vigesimo* revocantur ad memoriam, quæ schismatis, atque cum Summis Pontificibus dissidiarum temporibus sunt facta à Regibus: in capite insuper *vigesimo primo* tractatur de Beneficiorum, revente Summo Pontifice, per sæculares potestates intrâ Gallicam collationibus: in capite denique *vigesimo secundo* agit de pecuniarum ab Ecclesiâ Gallicana per Curiam Romanam exactione.

Refutatio, seu examinatio ejusmodi axiomatum.

A Author *tract. de libert. Eccles. Gallis. dist. lib. 10. cap. 7.* causam hanc ita prosequitur. Quoniam, inquit, quæ ad Prælaturarum dispositionem pertinent, per Concordatâ inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Regem Francorum sunt constituta, supervacaneum esset, & Lectoris prolixitate ingratum, singulorum, quæ Puteanus *cap. 15.* afferat de anteriori Franciæ praxi, examen.

Materia Regaliæ, de qua agit à Puteano *cap. 16.* tam diligenter, tamque erudite versata fuit, scriptis tum latinè, tum Gallicè tractatibus, ut nihil illi lucis accedere posse videatur. Eadem etiam occasione video, actum esse de juramento fidelitatis, ab Episcopis Regi præstando, de quo Puteanus *cap. 17.* nihilque hodie difficultatis esse scio circa hujusmodi juramentorum praxin, nisi circa ejus insinuationem, seu registrationem, quam volunt ad finem Regaliæ imponendum necessariam, quâ de re optimè etiam differuerunt, qui de Regalia nuper scripsere.

Nisi circa necessaria tantum immorari, mens esset, multa notari possent circa ea, quibus prædicta Puteani capita constant; prætermittendum tamen non est, Reges Franciæ vicissim Episcopis juramentum præstare solitos. Extant antiqua exempla inter Capitularia Regum Francorum à Stephano Baluzio collecta, & viget adhuc usus, ut Rex,



dum inauguratur, juret, se privilegium Canonicum se vaturum, quod cum ad veras Ecclesie libertates pertineat, taceri non debuit, quasi hoc Regiam Majestatem dedeceret, unde illi maximus decor accedit.

69. Tot sunt Ecclesie Canones de Episcoporum, & Parochorum residentia, quam melioris notae Doctores de jure Divino esse affirmant, ut laudandus sit Regum Christianissimorum zelus in praestanda exequendis illis Legibus Ecclesiasticis autoritate plurimumque commendandus esset Rex Christianissimus, si Praelatos, quos in Curia magis quam in propria Diocesi commorari delectat, quorumque aliqui nullum forte aliud negotium apud suam Majestatem magis sollicitate, quamvis minus aperte, prosequuntur, quam ut nova, vel pinguiora beneficia consequantur, ad commissum ovile remeare praeciperet, exemplo suorum Praedecessorum, & Iulianiani Novella 6. cap. 2. & aliorum: lic enim exequeretur Canones, Episcopis ad comitatum sine necessitate, ac matura deliberatione accedere prohibentes. Pudendum contra est, quod Pastores Gallicani tot actis ad residentiam cogentibus, quot referuntur a Puteano cap. 18. praebuerint occasionem, dimissis frequenter ovibus sibi a Christo concreditis; quae culpa in plures Augusti illius Cleri Rectores non cadit, quandoquidem omni aeo multi ovili suo assidue, seduloque invigilarunt, & omnes probi Pastoris partes expleverunt.

70. Regem autem tanquam sanctorum Canonum executorem Praelatos ad residentiam compulisse, par est credere, cum in plerisque actis expressa fiat Canonum mentio. Res est aliunde tam justa, tamque necessaria, ut Principum illam procurantium zelum excitate Ecclesia censeatur.

71. Praelatos licentia Regis, vel praepcepto indigere, ut a Regno proficiantur, capitis 19. titulus est, imo etiam si Summo Pontifice ad Concilium Generale evocarentur; ut indicatur n. 8. Prima lemmatis probatio hunc habet titulum: Ex Concilio Agathensi sub Clodoveo Rege anno 506. can. 35. Frustra fit mentio Clodovei a Puteano, cum ne unus quidem Episcopus Regni Francorum huic Concilio interfuerit, ut patet ex subscriptionibus; & notavit Dominus Marca lib. 6. cap. 18. §. 1. Sed concedamus ejus, utpote in loco modò Regi Franciae subdito, celebrati Concilij decreta vim legis obtineri; quid statuitur Canone illo 35. ut Episcopi Metropolitano ad ordinationem Summi Pontificis, aut ad Synodum invitanti pareant, excepta gravi infirmitate corporis, aut praepceptione Regis. Sed hoc non probat intentum; non enim agitur de exeundo a Regno, siquidem omnium Episcoporum Agathae congregatorum Metropolitani erant iura idem Regnum Tololanum Vigothorum; nisi forte, quod verisimile nequaquam est, ordinatio Summi Pontificis, non de quolibet Episcopo, sed de Romano tantum intelligatur. Verum ne tunc quidem aliud probaret Canon, quam exculandum Episcopum Romam non eun-

tem, non solum si graviter aegrotaret, sed etiam si ex praepcepto Regis alteri negotio incumberet, alioquin enim diceretur, excepta prohibitione, non, excepta praepceptione Regis.

72. Secunda probatio est exemplum Salonij, & Sagittarija Rege Gunthramno licentiam accedendi Romam postulantium, & impetrandum; ut refert Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 5. cap. 21. Sed hoc exemplum parum efficax est. Quid enim mirum, si Episcopi de homicidijs, adulterijs, aliisque scelibus convicti, patrocinium imploraverint Regis, quem, ut ait Gregorius, propitium sibi viderent. Non enim sola licentia, sed & favore indigebant, Rex vero, addit Historicus, annuens petitionibus eorum, datis epistolis (quae de sola licentia non videntur intelligentia) eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Joanne exponunt, se nullius rationis existentibus causis, dimotos. Ille vero epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eos restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis prius illis, verbis multis, implevit. Num Rex, qui Summo Pontifici sine mora parendum cenavit, perditos homines, qui a nemine illorum acclamationem prolequente, innoxij reputati fuerant, restitui jubenti, juris sui esse duxisset, Episcopos ad Concilium Generale a Papa vocatos retinere?

73. Afferuntur deinde duo loca Hincmari Rhemenfis Archiepiscopi, negantis, posse Episcopos a Regno decedere sine consensu Regis. Sed jam lib. 3. cap. 7. vidimus, ipsum de facto loqui, non de iure: & ex alio ejus loco, scilicet epist. 17. tom. 2. evidenter ostendimus, ipsum sensisse, Episcopos Romam a Pontifice vocatos accedere debere. Minoris momenti est exemplum Philippi IV. a Bonifacio VIII. dissidentis, & Caroli VII. Basileensibus contra Eugenium IV. faventis. Quid enim mirum, si primus sciens, Episcopos ad verum se Romam vocari, eos illic proficisci non siverit, & contra suam prohibitionem profectos male habuerit; alter suscepto Concilij Basileensis patrocinio, ab ipsiusmet Episcopis rogatus, Ferratiam, quo ab Eugenio vocati fuerant, ire vetuerit.

74. At nonne, sicut in rebus temporalibus & saecularibus, Regi, ita in spiritualibus & Ecclesiasticis Summo Pontifici tenentur Praelates obedire? Cum ergo commune totius Ecclesiae bonum postulat, ut Praelati aliò se conferant, Pontificem jubentem potius, quam verentem Regem debent audire, nisi forte per vim detineantur, aut graviora inde mala contectura sint. Si aliquis infedisset justitiae amor consarcinatoris animo, prophanitatem ad eos casus relinqueret, in quibus Episcopi gravi suspitione laborarent, alicujus contra Regem, vel Regnum machinationis; aut dixisset, duntaxat debitum Regis Majestati reverentiae officium esse, eo malurato non abire.

75. Quandoquidem Puteanus suas omnes probationes a facto, & autoritate ducendas putavit, cur hic, ut alibi, ei displicuerunt exemplum & sententia S. Ludovici? An servitus est, Gallorum nobilitate indigna, Sanctos imitari



imitari ac sequi? Guillelmus de Nangiaco in vita S. Ludovici refert epistolam sancti illius Regis ad Imperatorem Fredericum, in qua hæc habentur *Vos unitatem pacis & concordie disrumpentes, Prælatos Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide, quam ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari, quod molestè serimus, capi fecistis, & ipsos sub gravi custodia detinetis. An majoris ponderis est autoritas Philippi Pulchri, aut Caroli VII. quam sancti Ludovici? Nota hæc ejus verba: Cui (Sedi Apostolicæ) tam ex fide, quam ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata.*

76. Non soli B. Ludovici religioni, sed veritatis certitudini tribuenda est illa sententia. Scripsit ante S. Berhardus epistolâ 131. quæ est ad Mediolanenses; Potest (Papa) à sinibus terræ sublimes quasunque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit.

77. Quid juvat Puteanum in cap. 20. hujus voluminis, ac in alio integro volumine, ab isto, quod percurramus, distincto, schismatis, & dissidiorum perpetuâ oblivione delendorum memoriam revocare? An Regno Gallicano gloriosum est cum Summis Pontificibus disceptasse? An à iustitia ita stetit Gallia & in cauta & in modo, ut tantoperè cavendum sit, ne pereant illa monumenta? Qui veras & sinceras earum rerum historias legerunt, hinc non parùm imminutam nõrunt antiquæ pietatis, & religionis laudem, Gallicano Regno egregijs in sanctam Sedem, & Summos Pontifices officijs partam.

78. Quin potestas secularis in aliquibus saltem ex ijs, quæ in eodem cap. 20. referuntur, modum suum exceleserit, non videtur à Catholico posse negari; v. g. quod Senatus Placito n. 43. relato, Archiepiscopum Turonensem delegaverit, seu commiserit ad conferendum beneficium curatum, ut illa collatio eundem haberet effectum, quem habuisset in Curia Romanâ facta: quod Henricus IV. Rex Franciæ & Navarræ litteris n. 44. exscriptis Oeconomum spirituales deputaverit ad conferenda beneficia, Parochias, Prioratus, & Dignitates, quodque Oeconomus ille spiritualis beneficia contulerit sub hac forma, quæ legitur in ejus litteris ibidem extantibus: *Virtute dicti Oeconomatûs contulimus, & donavimus, &c.* Quis enim Catholicus affirmare audeat, posse Parochum absolvere à peccatis, vel Priorem posse excommunicare Monachos potestate solùm acceptâ à Rege, vel à Senatu, aut ab eorum delegatis?

79. Idem cum proportione dicendum de collatione aliorum beneficiorum, licet in eis non sit æquale periculum. Quamvis enim jurisdictionem non habeant annexam, a deo quæ minus aliorum fidelium salutem noceat beneficiorum intrusio; nullum tamen est, quod spirituale aliquod jus non habeat.

80. Patet certè ex actis in 21. cap. contentis, potestates seculares in Gallia, renuente Summo Pontifice, vel Episcopis, aliquando beneficia de facto contulisse, vel alicui facultatem

legitimam non habenti officium illud commisisse. Sed quid inde concluditur, nisi conculcatos fuisse Canones innumeros, quibus sub gravissimis pœnis prohibetur, ne laici beneficia Ecclesiastica conferant, vel Clerici ab eis collata recipiant? Magistratum secularium Placita titulos Canonicos non esse, quibus in tuto ponatur conscientia Beneficiarios, nemo non videt, nisi jam prævaritiâ & ambitione in mentis cœcitate, & cordis duritiâ prolapsus sit. Tæderet Canones referre, per hanc portam in beneficia ingredi veritates, quod à nemine ignorentur, & à pluribus Authoribus collecti sint; ut à Gratiano Can. 16. q. 7. quam his verbis insinuat: *Quod autem Ecclesias de manu laicorum accipere, nec Abbati, nec alicui liceat, omnium Canonum testatur autoritas: Ab Antonio Augustino, Juris Pontificij veteris Epitome lib. 15. tit. 7. & ab alijs. Vide rursus, quomodò speciosa libertatum Gallicanarum definitio plerisque illarum capitibus conveniat, id est, quàm directè illis opponatur.*

Quæ circa caput. 22. notanda essent de pecuniarum ab Ecclesia Gallicana per Curiam Romanam exactione, partim desunt lib. 6. partim circa duoultima capita istius voluminis dicentur.

Axioma sextum Puteani ex ejusdem cap. 23. & 24.

Hic Author *ibidem* expendit; quantum Regi sit potestatis circa sanctæ Sedis Legatos, ac Vicelegatos, in examinandis eorum facultatibus & mandatis Apostolicis.

Refutatio hujusmodi axiomatis.

Author sæpe citati tract. de libert. Eccl. Gallic. cap. 8. rem hanc ita prosequitur. Romanus Pontifex omnium Christi fidelium Pastor est, ac simul multarum Provinciarum Princeps temporalis. Itaque duplicis generis Legatos mittere potest, scilicet pro negotijs politicis, ac pro spiritualibus. Equidem, qui ab eo tanquam Principe temporali mittuntur Legati, omnibus à jure Gentium, vel à consuetudine, inter alios Principes Christianos inductis legibus obnoxij sunt, nisi quod in Papa non ita præcinditur temporalis ratio à supremi Ecclesiæ Pastoris dignitate, quin ejus Legatis, quæcunque negotia gerant, specialis reverentia debeatur, præsertim cum Princeps non sit, nisi quia Successor B. Petri, cujus Patrimonium vocatur, quod habet dominium temporale Romana Ecclesia.

Si autem spiritualibus tantùm & Ecclesiasticis rebus tractandis, Legati deputentur, Legationis suæ litteras tenentur exhibere. Hoc enim tam Canonico, quàm Civili iure cautum est. Cap. Cum in iure peritus. De Offi. Delegati. Et Leg. un. Cod. De mandatis Principum. Sed eorum facultates, aut jurisdictionem restringere, aut etiam examinare, ad potestatem secularem non pertinet. In hujusmodi enim rebus Principes Papæ subiant, nec sine ordi-



ordinis à Christo instituti confusione ejus mandata sua, vel iudicium suorum, censuram subijcere possunt.

85. Equidem si Regi iusta esset timendi causa, ne quod ex Legatione detrimentum in legitimis suis iuribus pateretur, non illi vitio verteretur, quod illud modo congruo praeceveret. Ita refert Henricus Spondanus ad annum 1625, n. 5. & Puteanus cap. 23. n. 52. Cardinalis Francisci Barberini facultates, non nisi cum hac conditione admittas fuisse, quod intra sex septimanas Breve Pontificium obtineret, quo titulus Regis Navarrae per incoquantiam omittis diceretur, non autem, ut inde aliquod praedictum Regi Franciae in jus Regni Navarrae fieret. Sed obtentu conservandorum Regis, aut Regni iurium, omnia Papae mandata circa res spirituales, & Ecclesiasticas, iudicium secularium arbitrio permittere, iustitiae, antiquorum Gallorum religioni, & Ecclesiae Romanae auctoritati repugnat. Itaque omnia illa exempla, quae à Puteano cap. 23. & 24. afferuntur, ea tantum ratione iusta esse possunt, si Regibus Franciae, aut eorum Curijs propositum fuit, vera jura Regia tueri, non autem potestatis Pontificiae exercitio impedimentum praestare.

26. Id agnoverunt Reges Franciae, etiam Philippus IV. tempore dissidij cum Bonifacio VIII. ut probat unus ex articulis missis à Bonifacio ad Philippum per Cardinalem sanctorum Marcellini & Petri cum responsione Regis. Est enim articulus ille huiusmodi, à Puteano relatus cap. 23. n. 2. Item ad denuntiandum, & declarandum eidem, quod Romanus Pontifex Legatos de Latere, ac Nuntios libere mittere potest ad quavis Imperia, Regna, vel loca, prout vult, absque petitione cuiuslibet, vel consensu, usu, vel consuetudine, contrariis non obstantibus. Non poterat jus sanctae Sedis clarius, & apertius explicari. Quid igitur ad hoc respondit Rex Philippus, quem vel Ecclesiae cum suorum iurium dispendio, vel personae ipsius Pontificis, iam sibi odiosae, impensius favisse nemo suspicabitur? Respondet Rex, quod non impedit, nec impedire intendit Legatos, Nuntios, vel alias quascunque personas, quod minus libere ingredi valeant Regnum suum, nisi sibi & Regno sint legitima ratione suspecti, vel aliam habeat iustam causam.

87. Quae praedictus Puteanus sub numeris sequentibus exscripsit, schismate, quod, uti iam saepe notavimus, maximam disciplinae Canonicae confusionem invexit, posteriora sunt; & quid factum fuerit, non quid fieri debuerit, plerumque ostendunt. Numero autem primo proponit exempla epistolae fidei publicae, seu salvi conductus à Carolo Major-domus dati Bonifacio Episcopo missio S. Petri in Franciam venienti, sed quod Legati sanctae Sedis protegantur, & defendantur, ad officium Principum spectat; qui eos suae Legationis exercitio juvare debent, impedire nequaquam sine injuria possunt. Citat praeterea Glabrum Rodolphum, cujus testimonium alibi expendimus; & epistolam Concilij Africani ad Papam Caeselinum, de qua modo pauca dicenda sunt.

88. Adverte hic, quod in pluribus alijs locis licet observare, quomodo erga sanctam Sedem sit affectus Puteanus, praemissis enim exemplis, in quibus moderatio, & iustitia magis elucet, ea tantum seligit, in quibus vel animi commotione, vel ignorantia, vel aliqua alia causa est aliquid actum adversus Summos Pontifices, etiam si ad propositum non faciant. Miserat Papa Zosimus paulo ante mortem Legatos in Africam occasione appellationis, quam Aparius Presbyter a sententia Episcoporum Africanorum ad sanctam Sedem emiserat, itaque à Concilij Africanis recepti fuerant. Sed quia eorum facultas, seu jus sanctae Sedis ad mittendos ad Provincias Legatos pro iudicio interpositarum ad se appellationum, Canonibus Concilij Sardicenis, sub nomine Niceni, à Zosimo confirmatum fuerat: & Episcopi Africani, quibus ignoti erant Canonibus veri Concilij Sardicenis, qui inter Nicenos non legebant eos, qui sibi allegabantur, scripserunt ad Bonifacium, Zosimam interea defuncti successorem, rogantes, ut ab Ecclesijs Orientalibus exemplaria Niceni Concilij sibi mittenda curaret, & spondentes, se interim servaturos, quae in Commonitorio Legatorum continebantur. Aparius petita veniam restitutus, in nova crimina relapsus est, propter quae rursus ab Episcopis Africanis est excommunicatus, sed a Caesellino, Bonifacii successore in communionem receptus est; missusque Faustinus Legatus in Africam, ut ejus causam maturè discussa, definitivum ferret iudicium. Aparius crimina sua in Concilio confessus, iuste se excommunicatum fuisse, demonstravit.

89. Episcopi Africani indignati, quod scelerati criminum poenas evaderent, aut saltem diu effugerent, atque adeo iustorum iudiciorum vim eluderent, rescripserunt Caesellino epistolam illam, quam innuit Puteanus, quamque haeretici, & alij, qui Sedis auctoritatem impatienter ferunt, tam frequenter, tamque importunè obtudere solent. Eam sanctae Sedis iuribus minime adversari aliqui arbitrantur, nec in ea appellationes ad sanctam Sedem, vel Legationes in Provincias ad iudicandas illas appellationes improbari, sed modum duntaxat; idque significare videntur haec Concilij Africani verba, seu adverbia: *Facilius, festinatò, praecipitanter, praeproperè, indebitè.* Sic enim scribit: *Prasato itaque debita salutationis officio, impendò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis accipere: quia hoc etiam Niceno Concilio definitum faciliè advertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi praecaveri, quantum magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia à communionem suspensi, à tua Sanctitate vel festinatò, vel praeproperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Caeselinus autem ideo in antecessum Aparium absolvent, quia eum ad se provocasse crediderat, ut notat idem Concilium: *Quem tua Sanctitas credens appellasse (quod probare non potuit) com-**



munioni reddiderat: quæ verba, jus appellationum recipiendarum Summo Pontifici competere, innuunt.

90. Equidem tam frequenter Romani Pontifices hæreticorum, atque improborum technis decepti, recta Episcoporum judicia suspendebant, ut iusta videretur Africanorum querela, si eò tantùm spectabat, ut major adhiberetur ad vitandas ejusmodi fraudes cautela. Non enim solus restitutionem suam suffuratus fuerat Aparius, sed paulò ante Pelagius, & Cælestius Zosimo Catholicos se fingentes, ab eo ut Catholici habiti fuerant.

91. Si autem, ut aliqui ex illius epistolæ contextu colligunt, etiam appellaciones ipsas ad sanctam Sedem, atque adeò Legationes ad illas judicandas rejiciebant Episcopi Africani, ea erat causa, quia, ut supra diximus, Canones veri Concilij Sardicenis ignorabant, & disciplinam in illis constitutam in Canonibus Nicænis, sub quorum nomine, quia nimirum Nicæni cæteros præbant, secundùm usum jam inductum, citabantur, non reperiebant. Sed ubi tenebræ illæ dissipatæ sunt; & appellaciones ad sanctam Sedem, & ejus Legationes in Africa, sicut in alijs Provincijs Christianis, liberè admittæ sunt, quod pluribus exemplis comprobari possent. Videri potest S. Leo epist. 87. non longè post id tempus scripta, & S. Gregorius, qui lib. 2. epist. 33. ad Columbium Episcopum scribit in hunc modum: *Fraternitatem tuam scriptis præsentibus diximus adhortandam, ut veniente ad te Hilario Charulario nostro, adunato Episcoporum universali Concilio, habito præ oculis terrore venturi judicis, causa eadem (scilicet Maximiani Episcopi, qui præmio corruptus Donatistarum Episcopum fieri permiserat) subtilis, ac solerti debeat indagazione perquiri.*

92. Sed & ante tempus scriptæ epistolæ supradictæ autoritatem suam in Episcopos Africanos Romanus Pontifex exercuerat, teste S. Augustino, qui unus fuit ex Patribus epistolæ prædictæ Authoribus. Is enim paulò ante sancti Cælestini iudicio se submiserat, ut patet ex ejus epistola 262. in qua alia refert exercitæ jurisdictionis exempla: *Existat, inquit, exemplo ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet prescius Provincia Cæsariensis Episcopus &c.*

93. Denique quorsum hanc epistolam citat Puteanus, cum in ea nulla Principum, pro quibus tamen ipse in hoc capite certat, fiat mentio? Satis nimirum illi est, ut autoritatem sanctæ Sedis deprimat: nam faciliè postea Episcopi, quibus favere adversus Summos Pontifices videtur, Regum potestati subijciuntur.

94. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 6. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 19. n. 7. & seq. affert exempla, primò Vigilij Papæ scribentis ad Auxanium Episcopum Arelatensem: *Se pro ejus pietatis affectu, & pro gloriosissimi Regis Childeberti Christianâ devotione mandatis suas ei*

*vices conferre. Et ad Aurelianum Auxanij successorem, se eandem administrationem committere Childeberti Francorum Regis Christiani, & Deo placitè in perhibendo ei testimonio voluntate accedente. Secundò Pelagij I. ad Childebertum scribentis, se secundùm petitionem ejus Legatum constituisse, seu Vicarium, Sappadum Arelatensem. Tertio S. Gregorij à Regina Brunehilde mittendi in Galliam Legati licentiam postulantis. Ex quibus inferri, necessarium esse Regum consensum, ut Legati facultatibus suis utantur in Gallia. Verùm ex his exemplis aliud quiddam inferri non potest, quàm postulatum aliquando illum consensum, ut res ex ambarum potestatum concordia felicius gererentur, & Principes libentius opem suam præstarent Legatis, si quando eà indigerent; aliquando ipsomet Principes intercessores adhibitos ad obtinendam Legationem; non autem necessarium omnino esse prædictum consensum.*

Si ad spiritalia tantùm negotia designentur Legati, eò Principum consensu non egere, nisi ut eorum ope, quæ sibi sunt injuncta, facilius exequantur, per se patet, & probari potest pluribus exemplis Legatorum à Summis Pontificibus, non petita ullâ Principum licentiâ, missorum. Ita missus est Petrus Damiani ab Alexandro II. circa annum 1062. ut constat ex hujus Pontificis epistola 21. apud Philippum Labbeum tom. 4. Concil. in qua nulla fit Regis mentio, in Callixto II. Cardinalem quendam misit, eumque Ludovico VI. commendavit his verbis, quæ significant, Principum quidem esse, Legatos juvare, non autem circa eorum Legationem aliquam jurisdictionem exercere: *Sanè charissimum filium nostrum, sanctæ Sedis nostræ Presbyterum Cardinalem nobilitati tue attentius commendamus. Nos enim à Latere nostrum secundùm antiquæ Sedis Apostolicæ consuetudinem ad terram Potestatis tue pro corrigendis & confirmandis, quæ corrigenda, & confirmanda fuerint, delegamus. Rogamus igitur Excellentiam tuam, & in Domino commoneamus, ut cum tuam Vicarium nostrum reverenter suscipias, bene sis habeas, & ita ei facultatis tue consilium, & auxilium præbeas, quatenus sibi injunctum proficit ministerium adimplere. Callixt. II. epist. 23. Nec asserri potest exemplum aliquod magno schismate antiquius, vel certum aliò argumentum, quo prædicti consensûs necessitas ostendatur.*

Imò Principes, sicut & cæteros, Legatis Apostolicis obtemperare debere in rebus spiritalibus & Ecclesiasticis, ratio suadet, & confirmant exempla. Gregorius VIII. epist. 5. append. 2. apud prædictum Labbeum tom. 10. scribit, non solum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, sed etiam Regibus, Principibus, Clericis quoque ac Laicis in Narbonensi Gallia, Guasconia, Hispaniæ Regione. Et tamen indiscriminatum ab omnibus recipi jubet Amatun Oloronensem Episcopum S. R. E. Legatum: quem, inquit, sicut nostram, imò B. Petri præsentiam, vos suscipere, Apostolicâ autoritate jubemus.

Gregorij forsitan ingenio tribueretur ea for-



formula, quæ autoritatem maximam significat. Sed alij Pontifices ante ipsum, licet animi minus generosi, aliam etiam vivacitatem usurpant. Ioannes VIII. mitis adeo indolis, ut ignavia ab aliquibus accusaretur, licet ageretur de Dominio Principum Francorum, Legatos misit, & eorum Legationem hæc clausulâ corroboravit epist. 3. apud Sir. tom. 3. quæ est ad Episcopos in Regno Ludovici Regis Bojarie constitutos. Nam eiusque sit gradus, ordinis, sublimitatis sive professionis, qui cum presentibus Legatis nostris, Ioanne Siculensi, itaque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus Episcopis, quos vice nostrâ illas in partes ad examinanda, simulque deservenda Canonice, sive Legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emertere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, autoritate Dei omnipotentis, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, nostræque medicocritatis, veniam sibi deinceps denegari, nec amodo communionis nostræ, ut verbis sanctissimi Prædecessoris nostri utamur, futurum esse consortem, quisquis esse noluerit disciplina. Hanc ultimam clausulam repetit epist. 4. quæ est ad Comites in eodem Regno constitutos.

98. Ultimis quidem temporibus indutus est usus, ut non solum de assensu Regum Christianissimorum Legati suis facultatibus utantur, sed etiam utillæ facultates verificentur, imò aliquando modificatae sunt. Sed ipsa rei novitas eum usum à libertatibus Gallicanis, quæ antiquitate nituntur, excludit. Nam ut ait prædictus de Marca dicto lib. 6. cap. 31. n. 8. prima omnium modificatio singillatim facta continetur in litteris Francisci I. pro Legatione Cardinalis Carnosini anno 1514. quod tempus causam indicat, nimirum gravissima dissidia, quæ paulò ante intercesserant inter Ludovicum XII. Francorum Regem, & Julium II. Romanum Pontificem, quæque inter eorum successores nondum plene composita fuerant, ut non mirum sit, si eâ diligentia voluerit Rex præcavere, ne quid in Regno suo contra se Legati Apostolici molirentur. Verùm ex huiusmodi casibus prorsus extraordinarijs regulam generalem conficere, contra omnes Juris, & rationis leges est.

Axioma septimum Puteani ex eisdem cap. 25. & 26.

99. Hic Author ibidem Regi confert potestatem impediendi, ne absque suâ, vel Parliamentorum licentiâ indulgentiæ publicentur, nève quarantur elemosynæ illarum occasione, nève instituantur Societates, seu Confraternitates: attribuit insuper temporali potestati jus, super possessorio cognoscendi in causis beneficialibus.

Refutatio ejusmodi axiomatum.

100. Auctor præallegati tract. de libert. Ecclesie Gallic. cap. 9. rem ita prosequitur. Puteanus cap. 25. in Regem confert potestatem impediendi, ne absque suâ, vel Parla-

mentorum licentiâ indulgentiæ publicentur; ne quarantur elemosynæ illarum occasione; nève instituantur Societates, seu Confraternitates. Si qui abusus in huiusmodi publicationem, quæsum, aut Societates irreperint, Canonum contra illos editorum executionem Principes laudabiliter urgebunt; ac si quid sub pietatis specie contra Regem, aut Regnum, aliqui machinantur, possent à Magistratibus comprimi. At, si ea Religionis officia ad id, ad quod sancte sunt instituta, collinent, ea bona impedire posse, non est Ecclesie libertas, nec jus Principum Christianorum. Earum rerum cura ad Episcopos, non ad Magistratus sæculares spectat.

101. Redditi beneficiorum temporales sunt; sed jus eos percipiendi non nisi spirituale dici potest, utpote fundatum in celebratione Divini Sacrificij, recitatione horarum Canonicarum, administratione Sacramentorum, exercitio spiritualis jurisdictionis, & cæteris spiritualibus operibus. Quare nemini unquam dubium fuit, quin Simonia crimen ab ijs patretur, qui beneficia vel emere, vel vendere, aliove contractu, non gratuito distrahere, vel accipere præsumperint, quod necessariò res esse sacras, & spirituales, supponit. Quomodo ergo ad iudicium sæculare spectaret controversiarum beneficialium decisio?

102. Unde iudicibus laicis esset potestas, Curatos, Canonicos, aliosque Beneficiarios, suis Placitis, seu, ut vocant, Arrestis constringere? Numquid si vitiosus sit ejus, cui favent, titulus, possent ipsi jurisdictionem spirituales conferre, ut valida sint, quæ confecturus est, sacramenta?

103. Fatentur, qui laicam jurisdictionem ad has materias protendunt, iudices sæculares non de petitorio, sed de possessorio, non de jure, sed de facto debere sententiam ferre, hoc est, non definire, quæ provisio sit canonica, vel vitiosa, sed quis magis legitime possidere videatur, ut is in sua possessione servetur, donec de jure prolata fuerit ab Ecclesiastico iudice ultima sententia; idque ne partes ad arma concurrant, quod frequenter accidit, dum plures rem eandem possidere conantur; quodque ne accidat, Principis est impedire. Sed nonne de possessorio, sicut de petitorio per plurima sæcula jus dixerunt Officiales Ecclesiastici in Gallia, sicut in alijs Provincijs Christianis? Cur ergo gens adeò antiquitatis retinens, à veteri illa disciplina recessit? Hæc certe immutatio Episcopis tribuenda non est. Fatetur enim Carolus Feyretus lib. 4. de abusu cap. 11. n. 6. ab illis agrè admodum admittam.

104. Primam præsentis à iudicibus sæcularibus juris probationem petit Puteanus à quadam deliberatione Senatûs Parisiensis anno 1411. vetantis: Ne Cardinalis Pisanus Joannis XXIII. ad Carolum VI. Regem Francie Nuntius, seu Legatus diceret, Regem, ejusque iudices, præcipuè Curiam ipsam, non posse de causis possessoris beneficiorum cognoscere. Hæc quidem verba probant intentionem Senatûs, sed non epis-jurisdictionem.



stitiam. Cæterum tunc usus ille adeo erat Pontificis illius Curie incognitus, adeoque ijs, qui eum norant, improbatum, ut prædictus Cardinalis scripserit in epistola, circa quam deliberabat Senatus; Deus scit, quantum Ecclesiastica jurisdictionis (notentur hæc verba) quotidie usurpatur. De omnibus causis Ecclesiasticis possessoris distinctè cognoscunt inter personas Ecclesiasticas, Religiosas, Abbates, Episcopos, ac etiam Cardinales. Et totum procedit à Clericis, qui sunt in illa Curia. Licet autem tunc schismatis tempus esset, multaque permittere cogere Pontifices, quorum partes Gallia sequebatur, adversus Ecclesiasticam libertatem, magnam tamen retinebant autoritatem in Ecclesia Gallicana etiam circa controversias beneficiales, ut testantur prædicti Ioannis XXIII. litteræ, præsertim quæ referuntur à Bulæo in tomo 5. histor. Univerf. Paris. ad annum 1412. ante finem.

105. Puteanus numeris 2. & 3. profert duas constitutiones Martini V. declarantis poenas aliâ suâ constitutione latas in eos, qui ad Iudices sæculares recurrerent in causis Ecclesiasticis, nominatim in beneficiabilibus, non afficere subditos Regis Franciæ. Verùm illæ litteræ, iudicum Regiorum conscientia in tuto ponendæ, impares sunt. Confirmant etiam duntaxat jus, si quod erat, nullum autem concedunt. Per hoc autem nullum jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, conservari.

106. Allegatum enuntiat, ipsum Regem, & suos Progenitores super omni possessorio à tanto tempore, quod de eius contrario memoria non existat, consuevisse cognoscere. Quæ conditio deficiebat, cum nondum eo tempore passim, & constanter lites de beneficijs coram Iudicibus sæcularibus agerentur, ut monumenta etiam extantia testantur; unde mirum est, Carolum Fevret, qui lib. 4. cap. 11. n. 3. autoritate Ioannis Galli, & Guidonis Papæ probat, eum usum tempore Martini V. non fuisse constantem, renitentibus nimirum Episcopis, imò testimonio Philippi Probi confirmat centum post id tempus annis, Ecclesiasticos Iudices de possessorio beneficio cognoscere potuisse cumulativè cum Laicis, quibus eam cognitionem permiserat Romanus Pontifex: mirum, inquam, est, eum in illo ipso numero affirmare, Possessorium beneficiale nunquam in Curijs Ecclesiasticis fuisse tractatum, & n. 2. ejusdem cap. Coronæ jus illud esse, ac verè Regium. Ita scilicet constant libertates Gallicanæ, ut qui eas iustas ostendere nituntur, sibi ipsis non possint non contradicere.

107. Constitutiones illæ, seu privilegia indicant, facultatem Iudicum Regiorum exerceri tantum in Clericos, Ecclesiasticisque personas, ad beneficiorum suorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes, puta, ne quis per vim à sua possessione deturbetur, præsertim in casu possessorij retinendæ possessionis. Itaque beneficiorum fructus essent tantummodò sequestro committendi, ut diremptâ lite apud

Ecclesiasticum tribunal, victori consignarentur, vel potius ille, cujus titulus Episcopi iudicio magis probatus fuisset, in possessione esset defendendus, aut si per vim ab ea fuisset deturbatus, autoritate Regià restituendus. At nonne super tituli validitate pronuntiant Iudices laici, siquidem, ut notat Petrus Rebuffus, discrimen inter profanum, & beneficiale possessorium interponitur, ut in profano sola possessio, à qua quis se dejectum conqueritur, in beneficiali autem provisio, seu titulus attendatur.

Etiam possessory nomine donentur causæ beneficiales apud sæculares Iudices, re verà tamen ut petitorie iudicantur: tum quia, ut diximus, ex titulis dirimuntur: tum quia super ijs iudicium ab Ecclesia non proferitur. Pars enim, quæ in possessorio succubuit, factis primæ litis sumptibus, qui maximilime, plerumque secundæ prosequendæ impar est, nec dilaciones & cavillationes partis adversæ, quæ, cum fructibus gaudeat, processum, si possit, in infinitum protrahet, se unquam superaturam confidit. Imò, ut insinuat Carolus Fevret tract. de abusa lib. 4. cap. 11. n. 6. post Lœuetum, datâ super possessorio sententiâ, non sineretur quis ab Ecclesiastico Iudice contrarium iudicium obtinere, vel illud executioni demandare, nisi fortè novum jus coram sæculari non allegatum supervenisset, quasi tanta sit Iudicis sæcularis de re spirituali decernentis peritia, tanta ejus autoritas, ut possessionem tantum discutiens, jus ipsum certissimè attingat.

Possessio propriè rerum temporalium est. Cur ergo, quod in beneficijs est spirituale, Ecclesiæ non dimittitur omninò? Cur Episcopo, cui sæpe constat, alterum ex litigantibus jus nullum habere, non licet alteri, cujus Canonicus est titulus, beneficia exequenda committere, præsertim cum jurisdictionem spirituales requirunt, ac sine illa salus animarum certissimè ruinæ patet? Cur arguentur tanquam suâ potestate abusus Prælati, si confessiones audire inhibeat ei, quem non, verè non esse Curatum, atque adeo nullâ jurisdictione præditum, imò fortè jurisdictionis incapacem? An toleranda erunt innumera sacrilegia, ne lædatur reverentia Iudici laico debita, apud quem causa possessionis tractatur?

Delicior erat conscientia Iudicum sæcularium tempore Ioannis Galli, hoc est, circa initium quinti sæculi. Is enim quasi ista restatur, tunc non admittendam fore querelam (Galli vocant *Complainte*) pro possessione beneficij Curati, aut ejus fructuum, quod, inquit, hoc erat merè spirituale.

Post Martini V. declarationes asserunt à Puteano n. 4. alia Eugenij IV. earum primam confirmantis. Verùm illa provisionalis tantum est; donec aliud autoritate præfata ob super ordinatum fuerit. Neque generalis est, cum primam tantum Martini V. declaret; atque adeo malè hoc ei lemma præfixit Puteanus; Bulla Eugenij IV. quâ declaratur, Bullas Pontificum circa possessorium beneficiorum non habere locum in Francia.

Breve



112. Breve Leonis X. ad Præsidentes, & Consiliarios Parlamenti Curiae Tolosanae exhibet Puteanus n. 7. ut ostendat, Judicem in Francia cognoscere de possessorio beneficiorum, approbante Papa. In eo Breve, quod non extat in Regestis Pontificijs, supponitur commendari Senatui Tolosano Ioannes de Anseduna litterarum Apostolicarum Abreviator, cui Papa beneficia contulerat, super quibus lis erat in dicto Senatu. Verum praeterquam, quod non est, approbare saltem expressè ulum iudicandi de possessorio beneficiorum; ejus Pontificis mens certius perspicitur in ijs, quae Concilio Generali praedens fecit, quam in litteris, quae ab Officiali Curiae suae proprio commodo studente, furtim obtineri potuerunt. Leo X. à quo datum dicitur praedictum Breve die 17. Novemb. 1513. mense sequenti, hoc est, mense Decembris ejusdem anni in Concilio Lateranensi Sessione VIII. monitorium poenale decrevit adversus Senatores Parlamenti Aquifextiensis, Ecclesiasticam jurisdictionem violentas in varijs capitibus, quorum unum erat de cognitione causarum beneficiorum. Quocirca id, de quo Judices saeculares in Francia cognoscunt, possessorium hactè duntaxat dici, sed revera petitorium esse, significavit, eumque usum abolere deliberavit. Erat enim articulus ille praedicti monitorij expressus his verbis: *Causas spirituales, & beneficia non tantum super possessory conficto colore super titulo audium &c.* Nonne illa est possessory ratio, quam hodie Judices Galli ad suam jurisdictionem pertinere contendunt? Non tantum de possessorio, cujus cognitio ad petitorij Judicem de jure spectat, sed de petitorio ipso, quantumvis spirituali, hoc est de titulo, possessory conficto colore iudicant. Nec enim, quis de facto possideat, sed quis justiorum possidendi titulum habeat, examinant, & eum tuerent, etiam si beneficij animarum cura, vel jurisdicatio spiritualis insit.

Axioma octavum Puteani ex ejusdem cap. 27. 28. 29. 30. & 31.

113. Hic author *ibidem* contendit pro autoritate Regia tum de puniendis Clericis in officio laico delinquentibus, seu haereticis quietem publicam turbantibus, seditiosisque Concionatoribus: tum de alienigenis ad beneficia Regni non admittendis: tum de officijs Divinis Ecclesiae Gallicanae à Rege ordinandis.

Refutatio istorum axiomatum.

114. Auctor praetati tractatus cap. 10. hunc in modum progreditur. Capiti vigesimo septimo, inquit, hunc titulum praeposuit Puteanus, posse Regem de crimine Officialium suorum Clericorum, quod in officiorum suorum exercitio admiserint, iudicare non obstante privilegio Clericali. Hoc probat n. 1. quodam Senatus-consulto post medium saeculum 13. dato. Agebatur de caede duorum hominum in carcere Cathalaunensis Episcopi,

Quaestio erat, an ejus rei iudex esset Senatus? Negabat Episcopus, allegans privilegium Clericale; affirmabat pars altera, eò quod ageretur de culpa admittà occasione jurisdictionis laicalis, Episcopo tanquam Baroni & Pari Franciae competentis, atque ita iudicatum est. Sed hoc iudicium non dirigebatur propriè in personam ipsius Episcopi, sed in exercitium jurisdictionis à Rege acceptae. Neque fuisset ei poena indicta, si ulterius processum fuisset, & probata fuisset Episcopi negligentia (non enim addit Puteanus, an illud Senatusconsultum effectum aliquem sortitum fuerit) nisi in jurisdictione ipsa; ut patet ex instrumento sequenti.

115. Nam post id tempus, scilicet anno 1313, Rex, qui, ut probat Henricus Spondanus, tunc erat Philippus IV. dictus Pulcher, in litteris à Puteano *ibidem* n. 2. excerptis declarat, Parlamentum Guilielmu Boutellum Clericum Reportatorem Regium Inquestarum privasse officio, eò quod processum, & Inquestarum secreta revelaret; sed hoc modo: *primò ad requisitionem Officialium Parlamenti. secundò per Officialem Episcopi Parisiensis, & ipsius Ordinarij captus fuerat, & ejus bona mobilia sequestro commendata. Tertio consultus fuerat Rex; an ulterius esset procedendum; qui responderat, puniendum esse, quantum ad ipsum pertineret. Quarto reus per propriam confessionem, & alijs probationibus convictus, officio Regio privatus fuit. Quintò intrà hos terminos stetit Parlamentum; Adjungentes (verba sunt ipsius instrumenti, seu litterarum Regiarum) quod ipsi dictum Officialem (Episcopi Parisiensis) non intendebant impedire, quatenus ipse de dicto Guilielmo, & ejus bonis praedictis, prout ad eum pertinet, faciat, quod rationabiliter fuerit faciendum.*

116. Ubi aliud est notatu dignum, & hodie nae Gallorum doctrinae adversum, scilicet de bonis saltem mobilibus Clericorum iudicium, etiam ex Regis jurisdictionis suae studiosissimi, & acerrimi vindicis sententià, ad Officiales Ecclesiasticos pertinuisse.

117. Numero 3. extat Senatusconsultum anni 1476. (notanda epocha, tempus scilicet dissidij inter Alexandrum VI. Pontificem, & Carolum VIII. Francorum Regem) quo quidem Senatusconsulto ad poenas, officij Regij privatione majores, damnatus est Clericus in Parlamento Parisiensis Consiliarius. Sed n. 4. profertur Bulla Clementis VII. quae tum praedicti Senatusconsulti, tum aliarum, si quae sint, probationum vim elueret. Quamobrem laudarem Puteanum hinc, & alibi saepe de bona fide, quia testimonia efficacissima contra seipsum adducit, nisi ex proprijs suis lemmatibus constaret, eum in ejusmodi probationibus attendisse non ad id, quod Ecclesiae jus manifestè asserere perspicitur, si ab aequo Judice legatur, sed quod ei adversari videbatur, quò de causà magnoperè cavet, ne quid afferret ex ijs, in quibus solius Ecclesiae jus elucet. Numero igitur quarto extat Bulla Clementis VII. Francisco I. concedentis facultatem puniendorum





dorum Clericorum in officiorum Regionum exercitio delinquentium.

118. Fuit autem data hæc constitutio primò ad instantiam Regis; Pro parte tuæ Majestatis nobis nuper exhibitæ petitio continebat. . . . Pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum. . . . Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati. Secundò pro Clericis uxoratis, non bigamis officia merè laica exercentibus; Quòd quandoque tuæ Majestatis Officiales Clerici uxorati officia merè secularia in Regno tuo, & alijs locis tibi subiectis exercentes, eo sibi velamine confecto, quòd cum unica, & virgine conjugati privilegio Clericali gaudere debeant, & à iudicium secularium examine, & correptione exempti existunt, &c. Ex quibus constat, ante id tempus, id est, ante annum 1530. non fuisse, saltem legitimè judicatos à iudicibus secularibus Clericos, nisi qui privilegio Clericali carebant. Tertio facultas puniendi Clericos conjugatos Officiales Regios, eà conditione Regi concessa est, ut Clericos etiam conjugatos, qui non essent Officiales Regij, privilegio Clericali faceret gaudere; Dummodò alios Clericos conjugatos privilegio Clericali gaudentes, tuos Officiales non existentes, dicto privilegio Clericali gaudere facias. Quarto non solum Pontifex in ea Bulla, sed etiam Rex in litteris patentibus ad ejus verificationem datis, & ibidem à Puteano relatis, declaravit, illam facultatem non à jure Regio, sed à concessione Pontificis emanasse: *Authoritate Apostolicâ*, inquit Papa, *remore presentium licentiam concedimus, scilicet puniri faciendi Clericos conjugatos, etiam monogamos in officioium secularium exercitio delinquentes.* Rex autem enuntiat, se ad Papam recurrisse, Bullam prædictam impetrasse, eamque post examen judicatam supplicationi suæ conformem, & Regni sui bono admodum utilem. Quintò privilegium illud, factâ expressâ Bullæ mentione, ab eodem Franciscò I. & ejus filio Henrico II. adductum, probant exempla ibidem à Puteano subjuncta.

119. Nescio, quomodo non vidit Puteanus, sibi etiam apertissimè adversari, quòd refert ultimo loco ex-constitutionibus Barcinonensibus manuscriptis Jacobi II. Aragoniæ Regis anno 1391. scilicet; Item quòd aliquis Clericos, vel alius homo, qui habeat tonsuram, non possit tenere aliquo tempore aliquod officium nostrum, salvis Cancellario, & Consiliario nostro & Eleemosynario nostro, & iudicibus, qui sciunt jus, pro eo, quòd si delinquerent in aliquo, quòd nos possemus eos punire inde. Quomodo inde assumptum suum probat Puteanus (nimirum posse Regem Clericos in officio Regio delinquentes punire, non obstante privilegio Clericali) eum contra Rex Aragoniæ ideo nolit habere Clericos Officiales, quia non posset eos punire? An quia excipiuntur Cancellarius, Consiliarius, Eleemosynarius, & Iudices jus scientes? Sed hæc exceptio ad prohibitionem refertur, non ad privilegium Clericale. Absurdum enim esset, ita Regis mentem interpretari, ut intelligeret, se inferiores quidem Officiales in officio à se accepto peccantes, non

posse peccare, obstante privilegio Clericali, posse autem, nihil obstante illo privilegio, in Eleemosynarium, Cancellarium & alios privatos animadvertere. Supponit è contra Rex, hujusmodi eximia officia non fore gerenda, nisi à viris, quorum perfecta sit probitas, quique sub spe impunitatis ob probitatem Clericale peccatori non sint, atque adeo nec puniendi, vel saltem id tam raro eventurum, ut eorum privilegium Regi non sit altissimum incommodum.

Capit. 18. hanc Puteanus titulum præfixit, De iudicio hæreticorum publicæ quietis perturbatorum. Sed quòd sit ejus consilium, non satis apparet. Certum est, & plerique rati illic relatis constat, ad Ecclesiam pertinere de controversiis fidei iudicare, quâ in re Procurator Regius Senatûs Aqueñsis respondens quibusdam articulis querelarum Officialium Pontificiorum, anno 1527. declaravit articulum 16. æquum esse, ut de crimine hæresis iudicibus Ecclesiasticis relinquere iudicium, ac reverà nunquam de illo iudicis Regios jus dixisse, nisi fortè scditio cum hæresis fuisset conjuncta, quæ declaratio refertur à Puteano in cap. 36. n. 17. Utrò fatetur Senatus Parisiensis, cujus Deputatorum oratio ad Carolum IX. Regem Franciæ anno 1560. habita refertur n. ult. Imperatores, Reges, Principes, & alias cujusvis ordinis & conditionis personas Ecclesiæ subesse. Certum etiam est, posse, imò & debere Potestates seculares oppem, auctoritatemque suam ad extirpandas hæreses apertas, & corrigendos, vel puniendos subditos suos, doctrinam ab Ecclesiâ declaratam hæreticam profitentes, impendere, eoque tendunt reliquæ fere omnia in eo capite contenta. Certum adhuc est, in profligatione hæreseos, ac hæreticorum punitione, unicuique potestati suam jurisdictionem salvam esse debere, atque plura ex illis actis testantur, sæpe unamquamque suas partes in Gallia explevisse. Contigit quidem interdum, ut potestas secularis Ecclesiasticæ fines ingrederetur; sed tuenda fidei necessitas ad hujusmodi transgressionem attendere non sinebat, magisque laudabatur zelus, quam reprehenderetur excessus.

Laudatur in eo capite, atque in sequenti exercitium Inquisitionis, quòd tamen Galli moderni tantum abest, ut probent, ut etiam gravi odio prosequi videantur, quasi rem utilissimam, sub prætextu quorundam abusuum damnare præster, quam abusus, si qui illapsi sint, amputare. Nimiam queruntur a quibusdam Inquisitoribus severitatem, nonnullos avaritiam sectatos. Verum hæc & similia, personarum vitia sunt. Sed nescio, quòde Galli, ut sacro illi tribunali odium conciliant, illud accusant, aut sacram Indis Congregationem, quasi Regum interfectores patrocinetur, eò quòd notaverit Senatus-consultum prolatum adversus Joannem Castellum Henrico IV. Regi mortem inferre conatum, cum non nisi per atrocem & apertam calumniam sacre Congregationi tribus potest, quòd probaverit tantum scelus, gravissimis



mis penis expiatur, quando quidem id tantum in eo Senatus-consulto displicuit, quod censuris Apostolicis auctoritas detraheretur.

122. Hæc autem non eò spectant, ut Inquisitionis exercitium in Gallia renovandum significem, sed ne sacrum illud tribunal, Ecclesiæ tantoperè necessarium, & à quo Gallia maximos olim, uberrimosque fructus percepit, debitâ apud fideles reverentiâ careat. Illud quidem etiam viri verè Catholici non necessarium in eo Regno arbitrantur, ob Episcoporum vigilantiam, ac Regis pro fide zelum, sed illud convitijs, ac detractionibus prosequi, hominis est admodum iniqui, vel criminum sibi conscij, propter quæ à sacro illo tribunali plesti mereretur.

123. Prædicandi munus, si quod aliud in Ecclesia Dei, spirituale sine dubio est, ac proprium Episcoporum. Apostolis enim, quibus successerunt, præcepit Christus *Marci ult. Eunt in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ.* Quod ut exequerentur, curam pauperum, quantumvis laudabilem dimiserunt Diaconis. Nos verò, inquit *Act. 16. orationi, & ministerio Verbi instantes erimus.* Si quid igitur in eo peccetur ab ijs, qui Episcoporum vice illud obeunt, ab Episcopis corrigendi sunt, qui nimis hodie Regi fideles sunt, quam ut desides sese præbituri sint in eo officio, si quid adversus Regiam Majestatem, aut contra publicam pacem prædicaretur, ut eorum negligentiam à se supplendam esse, non possint cauari Magistratus sæculares. Debet quidem laica potestas brachium suum, si opus sit, Prælati ad correctionem eorum, qui ministerio verbi scandalose abutuntur, commodare, ut prælitum est nonnullis actis à Puteano *cap. 29.* exscriptis: suo autem jure non potest personas Deo sacras in functione Divinissima peccantes plectere. In exemplis, quæ adducit Puteanus, præterquam quod sæculo proximè elapso antiquiora non sunt, & solius potestatis sæcularis auctoritate sunt munita, aut Ecclesiæ tantùm ad exequenda iudicia sua, & decreta collatum est auxilium, aut Reges, quorum nutabat Imperium, qui quæ plures in Clero patiebantur Adversarios, jus suum, quod prædicationibus publicè impugnari audiebant, non aliâ posse tueri ratione arbitrati sunt, quam si Prædicatores per suos etiam Iudices comprimerent, quod est legitime factum fuisset, in consequentiam nullatenus trahi deberet, vel certè Iudices laici falcem in alienam messem miserunt contra Canones, & contra morem antiquum Regni etiam Gallicani.

124. Quamvis secundùm jus Canonicum in conferendis beneficijs plerumque non sit attendenda personæ patria; rationes tamen non paucæ postulare videntur, ut uniuscujusque Regni beneficia indigenis conferantur, quod Actis in *cap. 39.* à Puteano relatis statuitur, à quodmodò digni reperiuntur. Sed hujusmodi statuta, cum circa rem spiritualem, nempe beneficiorum dispensationem, versentur, ab Ecclesia edenda essent, non à Principibus, nec tunc vim habere debent, cum prop-

ter indigenarum defectum, aut aliam justam causam magna Ecclesiæ necessitas, aut evidens utilitas illis derogari postulat, quæ omnia de Regularibus, de quibus etiam illic agitur, intelligenda sunt pari, & fortè majori ratione, quia illorum status à negotijs sæcularibus longius distat, & regimen minus est cum administratione politica connexum.

125. Missalium, & Breviariorum Ecclesiasticorum particularium Franciæ mutationem mandato, seu ordini, & permissioni Regis subjicere, quid aliud est, quam Ecclesiam in rebus Divinioribus sæcularis potestatis servam facere?

126. Num sicuti sine Regis mandato, aut licentiâ mutari non possunt libri sacrificij conficiendi formam continentes, ita è contra indiscriminatim poterunt de ejus mandato, ac licentiâ? Si quis ergo Regis religionem fefellerit, ac facultatem impetraverit inducendorum codicum, in quibus desunt verba consecrationis, admittendi erunt, ac juxta illos, celebranda Divina Mystheria, & officia, etiam si Clerus, & milites obstitant, & Deus ipse contrariam voluntatem miraculis significet, quemadmodum contigisse in Ecclesia Toletana, narrat Rodericus Toletanus in fragmento exscripto à Puteano *cap. 31. n. 4.* quod tamen fabulæ, quam historiæ similis mihi videtur. Talibus scilicet Canonibus nituntur, quas ipse Author vocat libertates Gallicanas. Id ab eo libertas reputatur, quod in eo fragmento his verbis exprimitur; *Sed cum Rex (scilicet Castellanus & Legionensis Alfonso) esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suavis, voluit inclinari, sed mortis supplicia, & direptionem minitans resistens, præcepit, ut Gallicanum officium in omnibus regni sui finibus servaretur, & cunctis stentibus, ac dolentibus inolevit proverbium: Quò volunt Reges, vadunt leges.*

127. Verùm, si hæc vel historia, vel fabula referenda putabatur, titulo capitis insinuandum erat, mandato Regio præire debere præceptum Ecclesiasticum. Ita enim in principio fragmenti legitur: *Gallicanum officium suscipere à Legato, & Principe cogebantur.*

128. Ex reliquis actis in prædicto *cap. 13.* relatis, illa, quæ antiqua sunt, nullam Regibus circa Divina officia tribuunt auctoritatem, sed ostendunt solummodò, Ecclesiam Gallicanam suas habuisse orationes speciales, vel ab Ecclesia Romana, perente Rege, acceptas; quæ autem acta recentia sunt, præterquam, quod generatim novitate sunt suspecta in materijs, ubi pro conservanda antiquitate certari dicitur; rationes, quæ Theologiæ Parisiensi adscribuntur, adversus eos, qui Breviarium ex decreto Concilij Tridentini correctum antiquo Parisiensi substituendum putabant, stylo aded irreverenti, & temerario scriptæ sunt, & partim aded ineptæ, ut meritò instrumentum eas continens Sorbonæ decreto proscriptum sit. Quod autem Puteanus, qui decreti illius meminit, adjungit, Curiam contra illud



authoritatem suam interposuisse, atque ita instrumentum tutum servasse, magis hac in parte Curiae vim inferentis religionem obscurat, quam justitiam demonstrat.

129. Ego quidem fateor, eam, quam de Augusti illius Senatûs religione, & æquitate opinionem, lectis antiquis ejus sapientissimis, pijs, justisque Placitis, & præclaris pro Ecclesia & Republica gestis, conceperam, plurimum imminutam ob ea, quæ posterioribus temporibus adversus Ecclesiasticam jurisdictionem tentavit. Misera certe Ecclesia Gallicana, siquidem ejus jura, testantibus in processu verbali Episcopis anno 1681. Parisijs congregatis, cæteri omnes illius Regni Judices minus, quam Senatûs Parisiensis servant illæsa. Quid enim v. g. Ecclesiasticæ libertati, & jurisdictioni magis infestum, quam quod Arresto à Puteano relato *ibidem* n. 7. statuitur in materia Divinorum Officiorum. *Declarat malè & abusive processum, ordinatum, & executioni demandatum, cum à dicto Episcopo (Andegavensi) tum ab ejus Officiali & Promotore, Ordinatum, quod servitium Divinum ordinarium in Ecclesia Trinitatis continuabitur. Inhibuit, & inhibet, quæ dicto Episcopo, quidquam innovare in exercitio, & celebratione Divini servitij in Ecclesijs suæ Diocesis absque autoritate Regis.* En libertas Ecclesiæ Gallicanæ. En religio ejus defensorum, & protectorum. Major potestati seculari adscribitur circa Divina officia autoritas, quam exercere sineretur Episcopus, imò Summus Pontifex, vel Ecclesia universa in Concilio Oecumenico, Tridentino scilicet, de cujus exequendo decreto circa Divina officia agebatur.

130. Sed gravius, quia generalius, est vulnus, quod in dicto Arresto sequitur (nisi fortè aliquis Typographi error est) *Ejus quoque Promotori & Officiali (inhibet) ne curam, jurisdictionem, aut cognitionem suscipiant, nisi quæ ipsi à constitutionibus (Regijs) tribuitur.* Constitutiones ergo Regiæ, jurisdictionis Ecclesiasticæ circa Divina officia origo sunt.

131. Æquitati ac religioni magis consentaneæ videntur literæ Regiæ, quæ subinde afferuntur, cum Missalis & Breviarij Ecclesiæ Romanæ usum permittant. Nihilominus Ecclesiæ libertas offenditur, quod in hujusmodi rebus necessaria putetur Regis autoritas. Ut enim notat jurium Rectorum non negligens vindex Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 2. cap. 7. n. 1.* *Cum ipsum Clericorum ministerium jure Divino sit institutum, quæ necessaria sunt ad illud explicandum, aut vindicandum, et potestati commissa censentur, quæ jus imponendarum manuum à Christo Domino nostro accepit.*

Axioma nonum Puteani ex ejusdem capite 32. usque ad 33.

132. Hic Autor *ibidem* Regiam autoritatem protendit tum super novorum in Gallia Monasteriorum extructionem, absque Regia autoritate non faciendam, tum circa varias

alias materias Ecclesiasticas in progressu sequentis refutationis exprimentas.

Refutatio hujusmodi axiomatum,

Autor præfati tract. cap. 11. causam istam ita prosequitur. Novos Regularium Ordines in Galliam admitti non posse, vel illos stabiliri, aut nova Monasteria construi, absque expressa Regis licentia, cap. 32. à Puteano probandum suscipitur. Quæ in re cum possint interdum rationes civiles, & temporales cum spiritualibus commisceri, uniuscujusque potestatis est, quod ad ipsam pertinet curare; sed sub eo prætextu spirituali Regularium regimini, sive circa electiones, sive circa Capitula generalia, sive circa delictorum correctionem, de quibus agitur cap. 33. tele Magistratus seculares immiscere sine injuria non possunt, præsertim dum eorum auxilium juxta Canonum præscriptum non imploratur.

Quæ in re multifariam est peccatum; itaque adeo graviter, ut mirum sit, non erubescere virum Catholicum (qualem nescio non fuisse Puteanum) hujusmodi exemplum in libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensionem adducere. Quomodo enim cum fide Catholica cohæret, ut censurarum usus penes laicos legitime reponatur? Afferit ille in præf. cap. 33. n. 23. Senatûs consultum anni 1599. quo Capucino cuidam, nomine Archangelo à Podio, indicta est suspensio ab officio prædicationis per sex menses. Simplicem esse prohibitionem ad removendum scandalum, quod ex concionibus creandum timeretur, factam interpretaret, nisi temporis spatium suspensioni præscriptum censura Ecclesiasticæ formam exhiberet. Non enim per sex menses duntaxat vitandum est scandalum. Itaque prohibitio illa pena erat, non cautela duntaxat.

Repugnat religioni, & antiquæ Gallorum pietati, ut adolescentibus, cum ad ætatem à Canonibus præscriptam pervenerunt, tollatur libertas, quæ ipsis jure Divino, ac naturali competit, genus vitæ, quod sibi ad salutem opportunius vident, deligendi, sub prætextu servandi honoris parentibus à filijs debiti. Quid enim, si parentes, ut sæpe contingit, proprio affectui, aut familiae utilitati, aut gloriæ magis consulant, quam Divino cultui, & propriorum filiorum perpetuæ felicitati? Hæc certe jurisprudentia cum omnium Theologorum, ac cum sanctorum Patrum doctrinâ pugnat. Quomodo v. g. Senatûs consultum anni 1602. prædicto cap. 33. n. 26. telatum Capucinis prohibens generatim, filios absque consensu patrum ad habitum, aut professionem admittere, concordat cum exhortatione S. Hieronymi *epist. 1.* quæ est ad Heliodorum, quam quidem exhortationem eorum Divinum oraculum omnibus deinde sæculis venerata est Ecclesia; *Licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te enutrierat, mater ostendat licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, stercis oculis ad vexillum crucis evole. Solam pietatis genus est, in hac re esse crudelium? Numquid sanius, & sacris Canonibus magis con-*



sentantè , judicatum fuerat anno 1583. referente Puteano *ibidem* n. 22. vetandum esse parentibus , ne filium ab ingressu Capucinorum detererent , si legitimam ætatem adeptus in ea voluntate perseveraret? Sed ita crescit in eo Regno pietas , & religionis profectus præsertim apud Laicos.

136. Atque hæc sunt iusta Dei iudicia , ut personæ Ecclesiasticæ sive sæculares , sive Regulares , quæ superiorum Ecclesiasticorum tribunal fugientes , ad laicorum Curias recurrerant , quò se sanctiori disciplina subtraherent , aut fortassis etiam , ut veras injurias repellerent , postmodùm iugo , quod sibi ultrò , ac contra sacrorum Canonum prohibitionem imposuerunt , aded premanantur , ut officia magis spiritalia , & proprio statui magis convenientia , liberè exequi non sinantur. Ita dum Episcopi adversùs Regulares privilegij se tuentes ; Regulares adversùs Episcopos Hierarchicè suâ autoritate tentes ; Clerici adversùs Episcopos , Regulares adversùs Religionis superiores , laicos Iudices adeunt , Ecclesiasticarum , & spiritalium rerum dispositionem ad ipsos devolvunt ; unde regimen Ecclesiæ penes sæculares potestates potius , quàm penes Ecclesiæ Pastores residere in Gallia hodie videtur , quod verendum est , ne Deus alicui poenâ ulciscatur. Id probant diverfa acta in hoc , & in alijs capitibus à Puteano descripta.

137. Utinam pro Monasteriorum reformatione toties à sacris Concilijs præscripta , suam autoritatem impenderent potestates sæculares , ac non potius reformare conantibus hodie obliterent. Tamen dum Reformatores auxilium legitimè præstant , non jure proprio ipsis agere licet , ut intendere videtur *cap. 34.* sed ad executionem Canonum Ecclesiasticorum. Idem dicendum de varijs Ecclesiasticæ disciplinæ articulis sub *cap. 35.* collocatis , in quibus tamen , ut patet ex actis illie relatis , Magistratus sæculares Ecclesiasticæ jurisdictionis terminos sæpe invadunt : quod ex ipsa rerum temporalium , & spiritalium , profanarum , & sacrarum distinctione facile dignoscitur.

138. Applicanda est eadem doctrina *capiti 36.* cujus titulus est ; *Miscellanea diversarum materiarum ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ spectantium.* Nec excusat Iudices sæculares , quòd , ut jam diximus , ipsæmet personæ Ecclesiasticæ jurisdictionem eis detulerunt , sive quòd , cum essent rex , sperarent , eos sibi magis propitios ob hanc voluntariam submissionem fore (quod facile præsumi potest , v. g. de Episcopo illo Meldensi , qui , ut habetur *ibi n. 17.* anno 1525. protestatus est ; se , si reus probaretur , ab ea Curia puniri velle ; illud tribunal alijs omnibus præeligere ; neque alios postulare Iudices ) sive quia iudicium Ecclesiasticorum præjudicia suis desiderijs magis adversari sciebant. Non enim minùs sacra est iurisdicctio Ecclesiastica , quàm secularis , ut ista non possit , possit illa ex consensu partium transferri ad Iudices sæculares , ut observare potes in responsonibus Procuratoris Regij Senatùs Provinciæ , quæ referuntur n.

19. *eiusdem capituli.* Nam in responsonie ad primum articulum Officialium Romani Pontificis , defenditur usus incarcerationum à Laicis Sacerdotum , aliorumque Clericorum , ex eo , quòd pro debitis pecuniarijs sigillo rigoroso Provinciæ se submiserint , in responsonie verò ad 13. negatur , posse Laicos sese jurisdictioni Ecclesiasticæ submittere , nisi in casibus à jure præscriptis.

Sed non est prætermittendus primus articulus , notatu scilicet dignissimus ; nempe ; Urbem Gratianopolitanam locum esse , in quo Reges Franciæ , ac Summi Pontifices sese invitebant. Is est titulus n. 1. præfixus. Numquid hinc concludendum est , libertatis Ecclesiæ Gallicanæ partem esse , ut Papa Gratianopolim sese conferat , cum eum illic vocare , Regi visum fuerit ? Sub hoc num. ponitur epistola Hugonis Regis , ad Joannem Papam sic scribentis : *Gratianopolis civitas in confinio Italiæ & Galliæ sita est , ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere soliti fuerunt. Hoc si vobis placet , iterare possibile est. At si nos , & nostra invisere libet , summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus , morantem , ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur.*

139. Verùm non advertebat Puteanus , quàm adversa esset suis libertatibus hæc epistola. Non enim reverentiam tantùm Regis , cujus plurima continet specimina , sed etiam subjectionem significat in re admodùm cara. Arnulphum Lotharij Regis defuncti filium , ac Ludovici , qui ei successerat in Regno , quique postea & ipse mortuus fuerat , fratrem , Hugo Capetus , in quem excluso Carolo Lotharij fratre , ac Ludovici Patruo , nuper translata fuerat Regia dignitas , ad Archiepiscopatum Rhemensem evehendum curaverat , ut eum hoc beneficio suas in partes traheret ; captâ autem , & direptâ Rhemorum civitate à Carolo , de Regno adhuc cum Hugone contendente , Hugo Arnulphum , licet à Carolo abductum tanquam bello captum , licet gravibus censuris deprædatoris civitatis persequentem , de prodicione suspectum habuit. Quamobrem , ut ab Episcopali dignitate deponeretur , effecit. Sed huic depositioni viriliter obstitit Joannes XV. Pontifex , ad quem eâ occasione scripsit Hugo epistolam à Puteano relata : sed in ea illud vel maximè observandum est , quòd protestatur Rex , se Summi Pontificis , licet de crimine lætæ Majestatis ageretur , iudicium non declinare. Addit enim statim post verba supra relata : *Hoc ex integro affectu dicimus , ut intelligatis , & cognoscatis , Nos , & nostros vestra nolle declinare iudicia , ac re ipsâ in suam Sedem restitutus est Arnulphus.*

Nihil frequentius videas inculcatum in actis à Puteano relatis , ac in alijs , quæ à Curijs sæcularibus Galliæ emanant , vel etiam in libris Scriptorum sæcularium illius Regni , quàm Regem , ejusque Officiales esse Protectores & vindices sacrorum Canonum ; ab eis abusus circa Canonum violationem medijs appellationibus , quæ tanquam ab abusu dicuntur , emendari ; eam esse veram libertatem



tem Ecclesiæ Gallicanæ, ut secundum Canones ei vivere liceat; & alia his similia, quæ speciem præferunt eximiam: sed cum ad particularia capita descenditur, Canonibus violationem Canonum substitutam deprehendis, ut multis jam exemplis comprobavimus. Tale est, quod continetur sub n. 24. hujus cap. 36. circa quod versatur. Legibus enim tum Ecclesiasticis, tum civilibus vitium est, ne Clericis in rebus, quas ex Ecclesia perceperunt, parentes, aut propinqui succedant, ut alibi ostendimus; & tamen hic varijs statutis consuetudinarijs probatur, propinquiores cognatos succedere beneficiarijs, etiam infructibus à beneficijs provenientes. Itaque Ecclesiæ libertas est, servandorum Canonum obligationem solvi: Ecclesiæ bona, resistentibus Canonibus, in familias sæculares transferri.

142. Quod de Regularium Ordinibus, Monasterijs, ac disciplina, circa cap. 32. 33. & 34. est dictum, ad Universitates, & Scholas publicas accommodandum est, quas negat Puteanus cap. 37. sine autoritate, ac consensu Regis reformari, nedum constitui posse.

143. Trigesimum octavum caput inscribitur; De exemptionibus Ecclesiarum, Capitulorum, Abbatiarum, & Monasteriorum à Prælati legitimis, & ordinarijs, sub quo titulo collocat nonnulla monumenta, ex quibus constat, olim Episcopos privilegia spiritualia, Reges verò temporalia Monasterijs concessisse, ut Monachi majori tum quiete Deo fervirent, sed continet etiam aliqua Senatûs-consulta circa exemptiones Capitulorum ab Episcopali jurisdictione, quæ materia fori Ecclesiastici, non sæcularis est, ut per se patet. Hinc igitur nihil concludendum est, nisi Curias sæculares, postremis præsertim temporibus, caularum Ecclesiasticarum cognitionem usurpasse; ut supra notavimus.

Axioma decimum Puteani ex ejusdem duobus postremis capitibus.

144. Hic Author locis insinuat contemdit pro authoritate Regia, tum in subsidijs à Clero exigendis, tum Summo Pontifici non nisi de consensu Regio præstandis.

Refutatio istorum axiomatum.

145. Author sæpe cit. tract. lib. 10. cap. 12. rem expendit in hunc modum. Equum est, inquit, ut subsidia & Regibus, & Summis Pontificibus à Clero Gallicano aliquando conferantur, de quo Puteanus in duobus ultimis Capitibus. Sed cum Ecclesiæ bona sacra sint, iniquum est, ut in eis exigendis Summus Pontifex à consensu Regiorum Officialium pendeat, Rex autem, quæ sibi necessaria duxerit, non expectato Summi Pontifici consensu, exigat.

146. Profert quidem Puteanus cap. 39. n. 10. Bullam Bonifacij VIII. declarantis, Regibus Franciæ licere, occurrente necessitate, à Clericis ipsis subditis, ad tuitionem Regni auxilium pecuniarium accipere, inconsulto etiam Romano Pontifice. Sed sufficit modò, huic constitutioni aliam in Corpore Juris clausam, &

ab eodem Bonifacio editam opponere, scilicet Clericis Laicis. De immunit. Eccles. in 6. quomodo suum robur aliquam diu obtinuisse, constat ex eo, quod Clemens V. ad instantiam ejusdem Regis, cujus favore ad Summum Pontificatum electus fuerat, eam temperavit; ut patet Clement. un. de immunit. Eccles. ita tamen, ut decreta Concilij Lateranensis tertij sub Alexandro III. cap. 19. & Lateranensis quartij sub Innocentio III. cap. 46. observari voluerit; Quæ, inquit, nos sub obsecratione Divini judicij præcipimus observari. Glossa super verbo Quoniam ex constitutione. Rex Franciæ, inquit, qui fuit causa passiva constitutionis, fuit activa causa revocationis; atque adeo æquum est, ut Gallia revocationis conditionem impleat; præsertim cum executionem Conciliorum generalium præcipiat.

En igitur Concilij Lateranensis IV. cap. 11. 46. quod alterius Concilij etiam Lateranensis decretum commemorat. Adversus Consules, ac Rectores Civitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos talibus, & collectis, & exactionibus alijs aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere præsumptionem hujusmodi sub anathematis distractione prohibuit: Transgressores, & fautores eorum, ex communicatione præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verum si quando Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem prospexerint, ut aliqua illa coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda: prædicti Laici humiliter & devotè recipiant commutationem gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulant Pontificem, cujus interest, communibus utilitatibus providere.

Huic autem conditioni, postulanda Summi Pontificis licentiæ, paruerunt tum Reges subsequentes, ut testatur Henricus Spondanus ad annum 1336. & alij in locis, tum ipsemet Philippus IV. ut scribit Odericus Raynaldus ad annum 1306. n. 42. Alia exempla ministrat ipsemet Puteanus cap. 49. præsertim n. 2. & 5. ut nemini dubium esse possit, quin Reges Christianissimi lege illà tentantur.

Si verò Cleus non expectato Papæ consensu, Regibus subsidia conferre se posse arbitratus est, justas luit suæ libertatis pœnas: aut verius, quia oblitus libertates suas in observandis Conciliorum decretis se reposuisse, à præcepto Concilij Lateranensis IV. recessit, jugum sibi tum Decimarum, tum doni gratuiti imposuit, quod nescio, an unquam deponeret. Commodum id quidem plerisque deputatis, qui eâ ratione Principis gratiam promerentur, ex qua maxima aliquando beneficia consequuntur, sed reliquo Clero grave, cujus quidem donum est gratuitum, quia mercedem non sperat, sed nescio, an ita voluntarij.

Si quando Reges bellum, aut aliud negotium suscipiunt, quod religioni conducatur, dubium non est, quin Ecclesia teneatur eis necessaria subsidia subministrare. Cum enim, ut sæpe notavimus, bona Ecclesiæ, Dei bona sint, in quos possent convenientius sumptus impendi, quam in perferendam Dei notitiam



ad barbaras, & infideles gentes, aut ad tuendam fidem, & religionem in terris Christianorum. Sic Philippo II. sic sancto Ludovico, aliisque Regibus Galliarum concessa sunt decimæ, & alia adjumenta temporalia, ut Christianis infidelium tyrannide oppressis opem ferrent, aut hæreticos in proprio Regno comprimerent.

151. Sed numquid etiam ob temporalem Regni necessitatem possent hujusmodi subsidia ex bonis Ecclesiasticis colligi? Sanè securitas Ecclesiarum, & honorum Ecclesiasticorum cum incolumitate statûs politici conjuncta est, præsertim cum ab hostibus infidelibus, aut hæreticis impetitur. Itaque tunc Ecclesia Regem ejus ope indigentem juvans, proprijs etiam rationibus consulit.

152. Verùm necessitatibus Regni, quibus optulari tenetur Ecclesia, non intelliguntur, Regia magnificentia, Imperij merè secularis propagatio, aliæ rationes omninò temporales. Patet enim, eum usum longè ab illo distare, cui destinatum est sacrum Ecclesiæ patrimonium; metuendumque esset, ne non tam juvaretur Rex, aut Regnum, quam concitaretur ira Divina, si quæ ad Divinum cultum, ad ministrorum Christi, & pauperum alimoniam deputata sunt, expensis profanis consumerentur.

153. Statuerat Rex Clotharius, tertiam reddituum Ecclesiasticorum sui Regni partem sibi addicere, consentientibus (non tam enim omninò liberè) Episcopis, sancto Injurioso Episcopo Turonensi excepto, qui ab aliorum sententiâ discrepans, Regem ab eo consilio deteruit, eam obijcens rationem, fore, ut Deus Regnum Clothario auferret, si ipse bonâ Deo consecrata tolleret. Rem narrat his verbis Gregorius ejusdem Sedis Episcopus hist. Franc. lib. 4. cap. 2. Denique Clotharius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum sibi solverent. Quod licet invitè, cum omnes Episcopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus respiciens, subscribere dedignatus est dicens; si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo alere debes, horreo, ab eorum sipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum numeribus, veniam precans, & hoc, quod fecerat, damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.

154. Antistites in Concilio Meldensi congregati, Carolo Calvo constanter, sapienterque declararunt, mala, quibus tunc Gallia premebatur, Ecclesiasticorum bonorum usurpationi esse adscribenda. Quocirca prudenter Baronius ad annum 800. Francorum, inquit, tunc quidem erant rebur, cum in Regibus cultus pietatis excelleret, elanguit, cum desesset, & Ecclesiæ sunt profuturæ Laicis, quorum redditibus non sunt illi reborati, vel cretti, sed enervati, penitusque depressi. Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsis, Reverendissimi Patres in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus apponere remedia, sed recusavit ille (Carolus Calvus) ea omnia suscipere, unde

justo Dei judicio factum est, ut, qui latas à sanctis Patribus leges lubere renuit, à Northmannis coactus sit, durissima suscipere jura; & qui Ecclesiarum bona Laicis tradebat, coactus sit, sua largiri Northmannis. Sed licet nulla est secuta emendatio in Rege, ita nec quievit Northmannorum flagellum in manu Dei.

155. Philippus Augustus Rex Franciæ, cum Ottone Imperatore certamen initurus, militibus suis spem victoriæ suadebat hæc oratione, quæ refertur à Rigordo in historia de ejus gestis ad annum 1215. Rex autem, antequam congregaretur, hæc brevi & humili oratione suos sui milites allocutus: in Deo tota spes & fiducia nostra est posita. Rex Otto. & exercitus suus à D. Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici, & deserventes rerum sanctæ Ecclesiæ, & pecuniæ, quæ eis stipendia ministrantur, de lacrymis pauperum, & rapinâ Ecclesiarum Dei, & Clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communionem & pacem sanctæ Ecclesiæ fruimus; & quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse defendimus libertates. Unde presumere fiducialiter debemus de Dei misericordia, qui nobis, licet peccatoribus, dabit de suis, & de nostris hostibus triumphare. Divinum Nomen sibi maximè propitium expertus est, reportata gloriosissimâ victoriâ. Plura leguntur in historijs, & in Orationibus à Clero Gallicano ad Reges habitis, ex quibus constat, Deum injuriam bonorum suorum acceptationem, etiam facultatum legitimè partiarum spoliatione ulcisci.

156. Quamobrem, ut ex de retero Concilij Lateranensis supracitato colligitur, principis causa consideranda est, ne, si perperam capiantur Ecclesiæ bona, non tam adjutorium Regi, quam perniciem conquiratur; deinde servandus est modus, id enim, quod ultra necessitatem exigitur, injustè usurpatur. Quæ ratio ubique, sed maxime tunc valet, cum non Ecclesiæ, aut religionis, sed Regis, aut Regni res agitur. Tunc in primis ex sico depromenda sunt, quæ potest suppediare. Quippe cum sicus, ut, & Galli vocant, Dominium ideo Regibus reservatum sit, ut hinc fierent sumptus, quos aut justitiæ dispensatio, aut hostium propulsatio, aut alia negotia ad populi quietem conducentia requirunt; tum, si publica deficient, recurendum ad privata, & profana. Quoniam sicut ab initio debuit unusquisque pro sua facultate, ac Regni necessitate Principi conferre ea, quibus indigebat ad curandum bonum publicum: ita cum prima non sufficiunt, tenentur eadem ratione nova superaddere. Sed si sit ea otium potentia, & Civium egestas, ut Rex impar sit præstandis sumptibus, nisi Ecclesiæ opem ferat, tum denique Ecclesiastica bona in subsidium vocabuntur.

157. Quocirca mirum videtur, cur Galli, qui suas libertates tunc maxime sibi adhibendas censuerunt, tum Summus Pontifex, aut, ut ipsi dicunt, Curia Romana subsidium aliquod postulabat, quod gravius videretur, id duram servitutem reputantes, ut habetur hist.



*Vnivers. Paris. tom. 7. Et.* tamen Ecclesia Gallicanae libertatibus accenseant jus, quod Regi tribuunt, hujusmodi subsidia exigendi ab Ecclesijs sui Regni, dum ijs opus habet, sed magis adhuc mirum, quod Summum Pontificem asserant, nihil obtinere posse sine consensu, ac licentiâ Regis, Regi autem Summi Pontificis consensum necessarium non esse? Puteanus *cap. 22. & 29.* Carolus Fevret *lib. 1. cap. 8. n. 6. & 7.* quasi minor adhibenda esset cautio, dum bona Deo consecrata in iuvando Principe sæculari expenduntur, quàm dum à Christi Vicario in Ecclesia utilitatem sunt infundenda, aut in ea Rex plus haberet authoritatis, quàm Papa.

158. Non ea fuit olim, ut *supra* insinuavimus, Christianissimorum Principum, ac Cleri Gallicani sententia, quandoquidem Summi Pontificis assensu confirmari optabant dona, quæ Regibus conferebantur, etiam in Ecclesia utilitatem convertenda. Extant tum in medio temporis, tum in alterius sæculi Conciliorum Oecumenicorum actis concessiones decimarum, ad præstandos belli Infidelibus inferendi sumptus, legi possunt acta Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. Concilij generalis Lugdunensis sub Innocentio IV. anno 1245. Concilij generalis Viennensis anno 1311. Vita Benedicti XII. Papæ. Concilium generale Lateranense sub Leone X. anno 1517. &c. Philippus IV. Romani Pontificis consensum tunc tantum sibi non expectandum volebat, cum eâ necessitate urgeretur, quæ Romam adeundi tempus non concederet.

159. Sed numquid sufficit Cleri Gallicani voluntas? Expedi certè tum Regis, tum Ecclesiasticorum virorum salutem, ut non sufficiat. Quam enim verendum est, ne plurimi eorum, qui Comitibus generalibus Cleri interfuerunt, aut metu, aut spe decantentur ad elargiendos Ecclesiasticos redditus, quorum ipsi minimam partem pendentes, maximam ex alienis bonis liberaliter profusis usuram se consecuturos confidunt. Quot enim sunt secundi ordinis Clerici, qui primum ambientes, eoque se non posse sine Principis favore ascendere intelligentes, ejus captandæ benevolentia occasione avidè arrepturi sunt? Quot ex utroque ordine, qui aut plura, aut pinguiora beneficia exoptant? Quot denique, qui Regi placendum, aut saltem non displicendum, etiam cum bonorum Ecclesiasticorum dispendio, arbitrantur, prætexentes temporalium jacturam Regiâ in spiritualibus protectione abundè compensandam? Cum igitur consensus hujusmodi debeat Regi esse suspectus, etiam à Summo Pontifice confirmatus: quanto magis, exclusâ illâ confirmatione, præsertim cum Clerici Dispensatores sint, non Domini.

160. Adhuc majus imminet periculum Ecclesiastici Ordinis viris (quorum esset ad sanctorum Antistitum exemplum Christianissimo Principi significare, quàm perniciosum sit, Christi Patrimonium in usus non necessarios, & profanos convertere) si præposterâ

in Regem liberalitate conscientiam ejus contempserant, si proprijs utilitatibus inhiantes, beneficiorum, quorum sunt Procuratores, substantiam prodigant: ipsæque facultatem adimant restaurandorum, ornandorumque templorum, alendorum pauperum, aliorumque bonorum operum præstandorum.

Denique sicut, nisi justa causa subsit, nec Regis, nec Cleri conscientia tuta est in imponendis subsidijs: ita utrorumque salus periclitatur, nisi cessante causâ, removeatur ab Ecclesia onus. Quid enim juvat præcessisse optimum bonorum Ecclesiasticorum usum, si pravus, aut inutilis succedat?

In his, quæ suggestimus, fideliter custodiendis, vera consistit Ecclesiæ Libertas, in illis contemendis gravis est sponse Christi servitus. Ejus quidem in præsentiarum delictis apparet fructus, sed maximum est periculum, quod qui non metuunt, aut de bonorum Ecclesiasticorum conditione, aut de Divina justitia rectè non sentiunt.

Metu illo se affici, pluries testati sunt religiosi Principes, præsertim Carolus Magnus in pluribus Capitularibus; Novimus, inquit in *Capitul. 8.* anno 803. relato in Capitularibus Benedicti Levitæ *lib. 7. cap. 132.* multa Regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias exspoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diriperunt, Episcopisque, & Sacerdotibus, atque, quod major est, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus deserunt. Quapropter nec sortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores exierunt: sed terga multi vulnerati, & plures interfecti veterum, Regnaque, & Regiones, & quod pejus est, Regna caelestia perdididerunt, atque proprijs hereticis caruerunt, & hæcenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec insipientibus, aut successoribus nostris exemplum dari volumus.

In eodem Capitulari 8. refertur petitio populi ad prædictum Imperatorem, in qua declaratur, quâ intentione, & quâ forma bona Ecclesijs offerrentur. Est autem forma hujusmodi: Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro redemptione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum (aut pro quocunque illas Deo delibet voluerit) ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemnibus, orationibus, luminarijs pauperum, ac Clericorum alimonijs, & ceteris Divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri insulenter credo, abstulerit, sub pana sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districte iustitias reddat rationes. Huic formulæ subjunguntur ista verba; Ponit etiam in ea alias iuraciones, quas enumerare longum est.

### CONCLUSIO.

PRæadducta Puteani axiomata minime coherent cum fidei principijs, ex quibus noscitur subsistere authoritas Pontificia.

Ex.



166.

Explicatur. Quemadmodum Regia potestas nititur lumine naturali, politicam quandam, & civilem hominum societatem, & inter se coordinationem distans, atque ad hujus rectam regimen exigente publicam auctoritatem politicam, cujus proinde fines circumferuntur sphaera luminis naturalis, qua civilem hominum in unum Corpus politicum coadunandorum gubernationem moderantis. Sic potestas Ecclesiastica innititur lumini fidei, qua coadunantis homines in unam Christi Ecclesiam, cujus regimen ex Divina institutione commissum est ejusdem Capiti Oecumenico, legitimo Petri successori, ac Pontifici Romano, cujus adeo potestas mensuranda est ex sphaera ejusdem fidei luminis, ac institutionis Divinae. Sicuti igitur in speculabilibus inversus teneretur ordo, si lumen fidei subiceretur lumini Naturae; hinc enim omnes enatae sunt haereses, quod lumen Naturae non captivaretur in obsequium fidei luminis, sic in practiis & moralibus totus inverteretur ordo, si, quae per fidei principia, & ex Christi institutione in ordine ad Ecclesiasticum regimen, finemque supernaturalem est instituta autoritas Oecumenica, sanciretur dependens ex Regia seu politica potestate in suis agibilibus moralibus. Cujusmodi profecto seu dependentiae, seu Pontificiae potestatis erga Regiam auctoritatem subordinationis, ne dicam, subjectionis argumentum praefecerunt praeducta Puteani axiomata; veluti sequentibus probationibus ostenditur.

PROBATIO I.

Refutatoria primi ex Puteano allati axiomatis.

166.

Si vel Rex, vel Officiales Regij in officiis suis transgrediantur suos naturae lumine circumscriptos limites, ac involent in jura Ecclesiastica, imo si intra ipsorum etiam naturalis luminis agibilibus moralium sphaeram agant contra justitiam, atque adeo peccati mortalis reatum contrahant, num dicere fas esset, ipsos non comprehendi Christi mandato Matth. 18. prolato: Si peccaverit in te frater tuus, corripue eum &c. & si te, una cum testibus ad correctionem adhibitis, non audierit, dic Ecclesiae, &c. Quam ignominiosum esset, seu Regem, seu Officiales ipsius eliminare a consortio illorum, qui sub Christiani characteris insignibus audiunt esse in Christo confratres, tam indecorum foret, ipsos exclusos asseverare ab isto Christi mandato. Quid ergo? Ubi contingeret, seu Regem, seu Officiales ipsius a Summo Ecclesiae Praefule, & Capite Oecumenico correptos non audire Ecclesiam. Num salva fide, dicere licebit, eos non comprehendi indefinita Christi censuram per Ecclesiam denuntianda, in vi cujus habendi sint instar Ethnicorum & publicanorum? Quemadmodum igitur nulla in terris auctoritas potest hoc Christi mandatum immutare, aut invertere, sic a fide sancta alienum est, dicere, Regem ac Officiales Regios, dum sua exercent offi-

cia, non posse subijci excommunicationibus, nisi hoc effatum eatenus temperetur, quatenus ejusmodi Officiales minime dicendi sunt exercere sua officia, quando extra horum limites exorbitant, vel involando in jura Ecclesiastica, vel contra ipsum etiam naturae lumen, atque a fortiori adversus supernaturale quoque fidei lumen peccando.

PROBATIO II.

Refutatoria secundi ex Puteano adducti axiomatis.

167.

Quandoquidem censura Ecclesiae, in vi cujus instar Ethnicorum & publicanorum habendus decernitur, qui illam non audit, per Christum Matthaei 18. cap. ita sit circumvallata, ut quodcumque manus Apostolica ligaverit in terris, sit etiam ligatum in caelis, quomodo cum fidei principijs subsistere jam valet Puteani effatum, contententis: Regis iudicibus, atque Officialibus esse facultatem eximendi a censuris Ecclesiasticis? Quo jure illa per Christum Ecclesiae, ejusque Supremo Praefule collata solvendi potestas & auctoritas praesumitur translata in Regios iudices? Quo jure horum manus protendi jam valebit ad solvendum in terris, quod ligatum est in caelis, nisi praetendant, hanc de solvendo, quod in caelis est ligatum, auctoritatem ab ipsomet Christo sibi collatam esse?

PROBATIO III.

Qua confutatur tertium Puteani axioma.

168.

Cum Christus Matthaei 16. cap. eam, quam Petro pro perpetuo Ecclesiae statu, atque adeo ipsius successori promiserat, indefinitam ligandi & solvendi auctoritatem, a nulla in terris potestate dependentem esse constituerit, sed uti Divinitus collatam, voluerit talem in foro etiam caeli sortiri effectum, ut quidquid vel solutum, vel ligatum ab illa fuerit, in caelis quoque habeatur ratum. Quomodo cum istis dilucidis fidei principijs cohaerere jam possunt illa Puteani axiomata, ac si Summo Pontifici, etiam extra Concordata, fas non esset, causas aliquas evocare ad Romanam Curiam tribunal, vel etiam non possent absque Regis, seu Officialium ipsius assensu litterae Apostolicae demandari executioni? Quomodo etiam Rex sibi adscisceret potestatem convocandi Coetus Ecclesiasticos, sub vero Concilij Ecclesiastici characterem, quem Christus suo in terris vicario nomini Matthaei 18. reservavit?

PROBATIO IV.

Refutatoria quarti Puteani axiomatis.

179.

De superioritate Papae erga Concilium fuse differuimus praeced. art. 2. atque adeo ostendimus ibidem Disquis. 5. nullatenus admittendas esse appellationes ad futurum Concilium. Quae autem praetenditur libertas Conciliorum Generalium in Gallia publicationis

D d d d

ac



ac receptionis, utique non extenditur ad fidei dogmata. Quomodo enim dogma ejusmodi ex Concilij Oecumenici definitione positum super candelabrum convincentis prudentialis credibilitatis, atque hæc mediante applicatum ad Primam Veritatem revelantem, posset absque hujus gravissima injuria non recipi? Quomodo etiam Gallicanæ Ecclesiæ fas esset, suas oculos celare, sicque adeo publicare fidei dogma ab Ecclesia sancitum, & ad credendum universis Christi fidelibus expositum? Quia porro decreta quoque *moralia* à Concilio Oecumenico definita, in vi omnimodæ huic Divinitus promissæ infallibilitatis, in fide Divina radicatam, adeoque indubitatam honestatis moralitatem obtinent, quomodo salvâ fide fas esset, dicere, talia decreta quoad bonitatis *moralis* specificationem, esse necessaria universis Christianis, hominisque Christiano nomine insigniti libertati eatenus subjacere, ut ea non recipere, seu repudiare valerent? Etsi verò decretorum quoque Conciliarium quoad *exercitium* obligatio supponat eorundem ex jure sancitam publicationem, minimè verò receptionem arbitrariam; uti in *antecedentibus* fuit ostensum. Nihilominus, quia noscuntur proflixisse ex Apostolica ligandi potestate in cæli etiam, adeoque *conscientiæ* foro obstringere potente, quomodo post illorum solemnem ab Ecclesiæ Capite demandatam promulgationem, in foro cæli, ac judicij Divini tura jam stabit conscientia cujusunque Christiani, ligamen illud conscientiæ ab ipso etiam Deo in cælis ratum habitum repudiantis, seu non recipientis?

## PROBATIO V.

Quâ refutantur Puteani axiomata ex cap. 15. usque ad ejusdem cap. 22. desumpta.

170. Interrogare lubeat Gallicanæ libertatis defensores, an Regiæ potestatis sphaera latius extendi valeat, ac ejusdem fuisset extensio in statu puræ naturæ? Ex elevatione statûs supernaturalis universæ equidem moralitates in homine superinduunt aliquam seu supernaturalem honestatis speciem, seu ab hac *moralitatem* deficientiam. Et Rex quidem cum suæ Regiæ potestatis exercitio *moralis* universo per sui in regnum cælorum ordinabilitatem ex fidei principiis *primo articulo* deductis, noscitur subesse Oecumenici Pastoris Romani Pontificis, per Christum eidem collatæ *indefinitæ* ad ligandum & solvendum super quocunque in terris *moralis* potestatis potestati, sicque adeo inversus, cum jure Divinitus sancito repugnans ordo esset, Regiam potestatem efferre super ea, quæ ad supernaturalis moralitatis lineam spectant, & quorum ratio in statu puræ naturæ nullatenus potuisset locum habere. At ejusmodi sunt universa illa, de quibus in *quinto* Puteani axiomate sermo est, quæ secundum suæ moralitatis formalitatem sunt purè spiritualia, atque

ad sphaeram supernaturalitatis per Christum fundatæ pertinentia. Quæ enim alia est ratio beneficiorum (uti etiam Prælatorum) Ecclesiasticorum, nisi quæ desumitur ex *intrinsicis* ad Christi fideles in vitam æternam perducendos ordine? Quomodo igitur seu Regalia super beneficiis Ecclesiasticis non aliquo ex Papa derivato, sed Regio ex potestate naturæ statu constituto jure præsentia, sive iuramentum fidelitatis ab Episcopis non ratione feudi, alteriusve causæ politicæ, sed ab illis, quæ Episcopis, seu Ecclesiæ Rectoribus exigendum, seu residentia Episcoporum à Rege secundum strictum mandatum præcipienda, seu licentia Prælatorum pro suo Oecumenico Pastore personaliter adeundo, sub hac præcisa formalitate à Rege impertienda, seu ipsæmet etiam beneficiorum collationes, remanente Summo Pontifice, per sæcularem potestatem concedendæ, seu pecuniariæ per Curiam Romanam ab Ecclesia Gallicana pro publica Ecclesiæ necessitate, non dici debeant causæ purè spirituales, *intrinsicum* moralitatis supernaturalis ordinem respicientes? Quomodo igitur Regia potestas, si ejusmodi casus se ingereret, dicenda non esset protendi ultra lumen naturali commensuratam, ac imperij sui efficaciam supernaturalem ordinem minimè attingere potentem sphaeram?

## PROBATIO VI.

Refutatoria sexti Puteani axiomatis.

NUMQUID Regiæ supremæ Majestatis gravissima reputaretur injuria & temeratio, si alter æque licet supremus Princeps super Regijs mandatis illius Legato, vel Vice Legato commissis sibi arrogaret judicium ad eadem examinanda, facultatesque ipsidem concessas, suæ Regiæ licet Majestatis sphaeram nec quidquam lædentes taxandas? At ex fidei principiis *art. 1.* deductis patet, Oecumenicam Summi Pontificis potestatem protendi super quocunque in terris *Moralis* ad regnum cælorum ordinabili, Regiæ adeo authoritatis exercitio, cum tamen e contra politicæ potestatis sphaera, utpote luminis naturalis juminibus circumscripta, depressior sit, quam ut super illâ Oecumenicâ per Christum constitutâ Summi Pontificis autoritate protendi valeat. Quomodo igitur magis hujus Divinitus constitutæ in Summo Pontifice autoritatis debita reverentia violabitur, si à Rege Christiano prætendatur circa sanctæ Sedis Legatos, ac Vice Legatos potestas in examinandis eorum facultatibus & mandatis Apostolicis?

## PROBATIO VII.

Quâ refutantur Puteani axiomata ex eisdem cap. 25. & 26. desumpta.

QUANDÔQUIDEM Indulgentiarum concessio sit actus clavium Ecclesiæ Oecumenicæ hujus Pastori Divinitus concessarum, quomodo Regia potestas absque hæcâ *visu* suspensio



se ingeret in illis, ad impediendum, ne ab- que sua, vel Parliamentorum licentiâ publi- centur, neve alia hisce accessoria, quâ Re- gis, seu Regni præjudicium minimè inferen- tia peragantur? Numquid porro in causis be- neficialibus possessorum quoque est quid spi- rituale, specificè respiciens ordinem superna- turalis moralitatis? Numquid Confraternita- tes, etiam in merâ suffragiorum spiritualium societate & communicatione consistentes, ut sic putam præferunt spiritualitatem? Quo igitur jure potestas politica extenditur tum super hujusmodi confraternitatibus purè spirituali- bus, tum super causarum beneficialium posses- soriis, ut sic merè spirituali?

PROBATIO VIII.

Quâ confutantur Puteani axiomata de- sumpta ex ejusdem cap. 27. usque ad 31.

173. Quæ locis præadductis à Puteano tradita sunt politica axiomata, ea disertè pugnant cum immunitate Ecclesiasticâ, perso- nas in Clericali statu constitutas contingente, clarè sancitâ in Jure Canonico, & receptâ in Jure civili in primis in Cap. At si Clerici. Cap. Clerici. Cap. Cùm non ab homine. Cap. Qualiter. De judicys. Cap. Diligenter. Cap. Significasti. De foro competente, ac exinde in Authentica Sta- tuimus. De Episcopis & Clericis. Quam equi- dem Clericalis statûs, atque personarum Deo dicatarum à laica potestate immunitatem plures Doctores per sacrorum Canonum, & Con- ciliorum auctoritates firmant, esse Juris Divini. Nam in Cap. Continua. 11. q. 1. & Cap. Fu- turum. 12. q. 1. Imperator Constantinus quo- rundam Clericorum querelis respondens: Vos, ait, à nemine judicari potestis, sed judicio DEI reservamini. Et in Cap. Quamquam. De censibus. decernitur: Cùm igitur Ecclesia, Ec- clesiasticæque persone, ac res ipsarum, non solum Jure humano, quinimò & Divino à secularium per- sonarum exactionibus sint immunes: constitutio- nem &c. Consonat Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. 9. in Bulla reformationis Cu- riæ, ubi habetur, à jure tam Divino, quam humano Laicis nullam in Ecclesiasticas perso- nas attributam auctoritatem. Concilium deni- que Tridentinum Sess. 25. de Reformat. cap. 20. decernit: Ecclesie, & personarum Ecclesi- asticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canoni- cis sanctionibus esse constitutam.

174. Nihilominus mitiori viâ incedentibus no- bis statuendum videtur, excepto unico Sum- mo Pontifice, exemptionem à laica potestate solum fundamentaliter esse Juris Divini, forma- liter autem Juris Ecclesiastici. Cujus in promp- tu est sequens probatio. Etenim pro Summi Pontificis à vestigialibus Regijs exemptione videtur apertè stare præadductus sacer textus ex Matth. 17. desumptus. Eo ipso autem, quòd illius exemptionis prærogativa noscatur ad solum Petrum fuisse directâ, videtur hinc consequens, ipsam esse radicatam super supre- mâ Ecclesie gubernativâ auctoritate, eidem Petro præordinatâ. At cum ejusmodi supre-

mâ Ecclesie gubernativâ auctoritate non posset stare Summi Pontificis erga laicam potestatem in quibuscumque tam civilibus, quam criminalibus subiectio, quandoqui- dem in vi illius supremæ potestatis, Pon- tificis semper posset ex plenitudine suæ au- thoritatis irritare, & annullare. quidquid contra suam Christi vicariâ auctoritate præ- pollentem personam, indigniùs ageretur; nec adeò possibilis erat ulla erga Pontificem potestas, prævalens ad ipsum obligandum ad quæpiam contra ipsius voluntatem deman- danda executioni.

175. Verùm secus res se habet in reliquo Ec- clesie subordinato Clero. Quamvis enim hujus ad Divinum cultum (per characterem etiam, in Domini sortem segregantem, sic- que à laicis discernentem, Ordine minore quoque initiatis realiter impressum) Divinitus facta deputatio exigat pro tali statu aliud à Clericali diversum regimen, hinc tamen mi- nimè evincitur, hoc speciale à regimine poli- tico universum regimen debere de Jure Divino ultra causas spirituales extendi, quamquam præferat magnam congruentiæ rationem, atque adeò fundamentum, ut ab ipsa Christi vicariâ auctoritate stabiliatum talis regiminis, personarumque Ecclesiasticarum segregatio, & exemptio à laicali potestate, atque regimi- ne. Quare dicendū omninò est, talem exemp- tionem in Clero esse formaliter Juris duntaxat Pontificij, fundamentaliter autem, & radicaliter esse Juris Divini, Clerum in Domini sortem segregantis, & à laicis discernentis. Atque sub hac distinctione expediendæ sunt auctori- tates ex sacris Canonibus, & Concilijs supe- rijs adductæ.

PROBATIO IX.

Refutatoria axiomatum Puteani à Capite 32. usque ad cap. 38.

176. Cujusmodi immunitatis Ecclesiasticæ cir- ca personas sacras violatio tantò eviden- tior est, quanto apertius versatur in causis spi- ritualibus, fidei, Sacramenta, ac cultum Divinum, animæ umque salutem concernen- tibus, in quibus Clericos Jure Divino exemp- tos esse à laica potestate, evincitur ex sequen- ti fundamento. Quemadmodum enim cau- sarum spiritualium natura unicè originatur ex Christi constitutione, sic eorundem judi- cium potest unicè stare penes illos, quibus vel immediatè, vel mediatè est commissum à Chri- sto Domino. At soli Petro, in ordine ad Ec- clesie à portis inferi nunquam superandæ per- petuitatem, adeoque illius etiam successorib- us commissæ est gubernatio Ecclesie, atque adeò causarum illarum judicium, Domino Matth. 16. dicente uni Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et postea Joannis 20. Pascite oves meas. Tales igitur spirituales ad Ecclesie substantialem governa- tionem spectantes causæ, ex immediatâ Chri- sti institutione ita subsunt Apostolica Petri



successorum authoritati, ut ex hac quoad partem pro regiminis Ecclesiastici exigentiâ moderandam, derivetur potestas aliqua in inferiores Ecclesie Prælatos, Regibus ac Principibus sæcularibus ab ejusmodi Ecclesiasticarum causarum judiciariâ potestate, penitus ipso etiam iure Divino remotis.

177. Et hinc extra crimina à iure excepta, nefas est, Iudicem sæcularem extendere manum adversus Clericos, quantumvis crimosos, dum præsertim agitur de causis spiritualibus; prout habetur decisum in Canonibus superius allegatis, nec non in *Cap. un. De Clericis conjugatis. in 6.* Imò ne in exceptis quidem enormibus criminibus, Iudici sæculari competit adversus Clericum jurisdictio, nisi prius à Iudice Ecclesiastico fuerit ipsi remissus. *Ex Cap. Cum non ab homine. & Cap. Cum Clerici. De judicijs.*

178. Nec porro, attento iure communi, Clericus fori privilegio fruens, tradi potest Iudici sæculari ob quodvis etiam gravissimum scelus, nisi fuerit incorrigibilis; juxta prædictum *Cap. Cum non ab homine*: quamquam ex recepta consuetudine (si delictum nimis atrox sit, & scandalosum, atque à viris prudentibus & pijs censetur conveniens, ut talis crimosus deleatur de albo Cleri Ecclesiastici) quandoque contingat, non expectatâ incorrigibilitate, degradari, Iudiciq; sæculari ad extremum supplicium tradi adeò scelestum Clericum, eò quod privilegium in favorem & honorem statûs Clericalis concessum; non debeat vergere in hujus dedecus; uti præter alios observat Covarruvias *lib. 2. variar. q. cap. 12. n. 7.*

179. Notandus tamen specialiter hæc venit Canon 1. de homicidio, ubi in hæc verba deciditur: *Sacri approbatione Concilij (Lugdunensis scilicet sub Innocentio IV.) statumimus, ut, quisunque Princeps, Prælati, seu alia quævis Ecclesiastica persona, quempiam Christianorum per assassinum (ad hoc scilicet conductum) interfecit fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forsitan non lequatur) aut eos receperit, vel defenderit, seu occulaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, & beneficio incurrat sententias, & ita liberè alijs, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus, tanquam Christianæ religionis amulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus. Et postquam probabilibus argumentis constiterit, aliquem tam execrabile scelus commississe, nullatenus alia excommunicationis, depositionis seu diffidationis adversus eum sententia requiratur. Ex quo manifestum redditur, crimen assassinij, utpote diffidationem à populo incurrens, ipso iure tribuere Iudici sæculari jurisditionem in Clericum, tali crimini obnoxium, ut contra ipsum procedere possit: requiri tamen sententiam Iudicis declaratoriam talis sceleris, quousque fas sit Iudici sæulari, adversus talem sceleratum Clericum procedere. Quæ sententia declaratoria non ab alio, quam à Iudice Ecclesiastico fieri potest, cum ante talem declarationem*

adhuc stet possessio pro immunitate Clericali.

Habetur insuper in *Cap. Filij. 16. q. 7.* quod negligentibus Prælati Ecclesiastici ad providendum rebus Ecclesie, fas sit, implorare auxilium Regis, non tamen quæ Iudici, sed quæ Ecclesiarum protektoris & defensoris. Unde fixum esse debet, quod in causis Ecclesiarum & Clericorum laica potestas nihil possit per se, & propria authoritate. At ex consensu Ecclesie vel expresso, vel tacito licet Iudici sæculari quandoque se ingerere in causas Clericorum. Sic enim de mandato Ecclesiastici superioris, Magistratus sæcularis licet capiat Clericum, cum ejusmodi ex authoritate Ecclesiasticâ primario procedat captio, haud censenda sit sæcularis, sed Ecclesiastica. *Ex Cap. Cum non ab homine. De judicijs.*

Insuper si Clerici delictum sit notorium, ac is de fuga suspectus sit, atque Prælati Ecclesiastici non possit consulti, tunc ad effectum præstentandi delinquentem suo Prælati Ecclesiastico, ex hujus voluntate rationabiliter præsumptâ, sicut fiet à laica potestate illius Clerici captura, & incarcerationi, ut tamen, ut quamprimum fieri potest, remittatur legitimo ipsius Superiori, ac Iudici Ecclesiastico; uti plures tenent Doctores, adjiciendo, posse à laico seu Iudice, seu etiam creditore, Clericum capi etiam pro solutione debiti *Civilis*, dum est de fuga suspectus, nec tam citò recipi potuit à Prælati Ecclesiastico mandatum de eo capiendo: at quamprimum fieri potest, remittendus est, eò quod in tali casu captura & retentio Clerici non tam sit actus Jurisdictionis, quam defensionis propriæ; veluti alijs relatis, censet Covarruvias *lib. 2. varior. quest. cap. 1. num. 9. §. Ceterum*. ediciens, alioquin Clericum ob debitum nihil ne quidem ab Ecclesiastico Iudice capi, & incarcerari posse, *Ex cap. Odoardus. De solution. & Cap. 2. De fidejussorib.* Quare illa de Clerico ob debiti *Civilis* solutionem capiendo, licentia cautè usurpanda est, ne transgrediatur limites quasi defensionis necessitatis.

Ex tali quasi defensionis alienæ jure potest Magistratus sæcularis, vel homo etiam privatus, servatis tamen conditionibus alijs expressis, capere Clericum, quando aliâ viâ impediri non potest delictum committendum erga tertiam personam; uti docent plures Theologi animadvertentes, ex communi illo jure, quo secundum legem *Propterea. Cod. Episcopis & Clericis*. cuiuslibet data est potestas, capiendi deprehentum in flagranti crimine, licere etiam laico seu Iudici, seu privato homini, capere Clericum in flagranti scelere repertum: eò quod talis captura non sit Jurisdictionis, sed defensionis, siquidem interlit tam Republicæ, quam honoris Divini, ut etiam per vim à peccato abripiatur Clericus taliter delinquens. Ultra cuiusmodi tamen à peccato flagrante violenter accendi, vel abstrahendi metam progressi, laico nefas esset, sed ulteriorem processum, oportet, Iudici Ecclesiastico remittere.

P. R. O.



PROBATIO I.

Refutatoria axiomatum Puteani postremis duobus capitibus ab ipso traditorum.

113. Hic specialiter vindicanda occurrit status Clericalis, Bonorumque Ecclesiasticorum a tributis Regalibus immunitas, circa qua tenendum est, non Ecclesiarum duntaxat, sed etiam Clericorum Bona exempta esse a tributis Regalibus. Nam in Cap. Non minus. De immunitate Ecclesiast. Cap. Adversus. & Cap. Clerici. eod. tit. subjiciuntur excommunicationi Consules ac Rectores Civitatum, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticos viros tallijs, collectis, & exactionibus alijs aggravare nituntur. Cui conformiter in Cap. Clerici. De immunit. Eccles. in 6. & Clement. ult. De censibus. praecipitur: Ne a personis Ecclesiasticis, aut pro suis rebus proprijs tributa exigantur. Quae universalitas verborum non complectitur duntaxat Clericorum, spirituali, v. g. decimarum, seu beneficalium reddituum titulo quaesita, sed bona etiam acquisita ex hereditatis, aliove temporali titulo; siquidem talia personarum Ecclesiasticarum bona non possent esse subiecta tributis Regijs, quin haec ex autoritate Regij exigenda essent ab eorundem possessoribus Clericis. In quantum igitur isti sunt exempti a jurisdictione saeculari, in tantum oportet, ipsorum quoque bona esse sic exempta.

114. Et hinc reprobanda est quorundam Juris Civilis Interpretum sententia, qui ex lege Ad institutiones. Cod. De sacrosanctis Ecclesijs. & alijs legibus contendunt, obstringi Clericos ad tributa imposita pro constructione pontium, & itinerum. Quibus tamen legibus aperte resistunt, earumque adeo vim tollunt praecitati Canones Cap. Non minus. & Cap. Adversus, De immunit. Ecclesiast. ubi prohibetur, imponi tributum Clericis pro qd communibus necessitatibus, inconsulto Romano Pontifice, vel, si hic adiri non possit, absque consensu Episcopi & Cleri (Capituli saltem Cathedralis) tantam necessitatem, & utilitatem aspicientis, ut absque illa exactione ad reparandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suspentur facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.

115. Haec proinde, & alia immunitatis Ecclesiasticae Jura, ut Reges, Principes, & Magistratus saeculares curent, illibata servari, gravissimis verbis eos hortatur sacra Tridentina Synodus Sess. 25. de Reformat. cap. 20. Nec porro illa Clericorum exemptio est solummodo a tributis, seu oneribus realibus, sed etiam muneribus & obsequijs personalibus. Haec enim sunt in triplici differentia. Alia namque sunt sordida, ac dedecentia statum Clericalem; veluti fossio arenae, atque ab his non Clerici duntaxat, sed eorum quoque domestici eximuntur tum per SS. Canones in Cap. Generaliter. Cap. Iuxta sanctionem. Cap. placet. 16. q. 1. Tum per Leges etiam Imperatorias in leg. 10. & alijs. Cod. De Episcopis & Clericis. Alia deinde munera Com-

munitatis sunt honorifica; veluti Restoratus civitatis. Alia denique indifferentia sunt; veluti officium tutoris & curatoris. A consimili modo proinde civium officijs eximi etiam Clericos, enitur ex Cap. Generaliter. 16. q. 1. & toto titulo, De immunit. Ecclesiast. Nec non ex titulo, Ne Clerici, vel Monachi, uti etiam ex Legibus 1. 2. 9. 10. & 11. Cod. De Episcopis & Clericis. Quae tamen aliqualem suscipiunt moderationem ex dicendis in subsequente corollatio.

S. III.

Corollarium finale praesentis disquisitionis.

ILLATIO I.

186. Explicatur; Quomodo persona Ecclesiastica ex iustitia Legali obstringatur Communitati quoque politica, intra quam vivunt? Cum enim Clerici sint Republicae Civiles membra, seu Cives; uti late discutit Felinus in Cap. Ecclesia. n. 69. De Constitut. ipsi namque indigent etiam Communitate Civili & Politica ad vitam temporalem conservationem, unianturque adeo in hunc finem cum Laicis in uno corpore Politico, seu in una Civitate. Ideo personas quoque Ecclesiasticas jure naturali, ex vi iustitiae Legalis oportet, ea pro Communitatis Bono praestare, quae hujus publicae necessitati convenientia sunt. Cui tamen doctrinae videtur obviare exemptio ac immunitas Ecclesiastica, per quam non tantum personae Clericorum eximuntur a potestate Civili quoad judicia, seu tribunalia causarum tum Ecclesiasticarum, tum etiam temporalium, Civilem, atque Criminalium Ex Cap. Si diligenti. Cap. Significasti. De foro compet. & Concil. Trid. Sess. 25. c. 20. De reform. Sed insuper bona ipsorum exempta sunt a temporalibus tributis ac oneribus, Ex cap. Non minus. Cap. Adversus. De immunit. Eccles. Cap. Noverit. De sent. excom. & Cap. Quanquam. De Censibus. Ad ista tamen, in speciem adversantia, inter se concilianda, duas huc quaestiones elucidabimus saltem in praesenti decidendam; Quomodo scilicet Clerici obligentur legibus Civilibus? Alteram sequenti Illatione discutendam; In quibus nimirum casibus Ecclesiastici tributa solvere possint, ac debeant.

187. Circa priorem igitur difficultatem primo certum est, Ecclesiasticos non ligari civibus legibus, quae immunitati ipsorum sunt contrariae. Nam hujusmodi sunt injustae, sive directae ac expressae disponant de materia spirituali, vel Ecclesiastica; sive solum indirecte violent libertatem Ecclesiarum, taliter circa materiam Civilem disponendo, ut inde redundet aliquid contra jura Ordinis Ecclesiastici, vel contra privilegia huic a Deo. Pontifice, seu Imperatoribus concessa. Hinc Magistratus, seu Princeps saecularis in ferendis talibus legibus, gravissimè peccat peccato tum sacri-





legij, virtuti Religionis adversantis, tum injustitiæ, seu usurpatæ Jurisdictionis: adeoque non tantum à Jure Canonico, sed à Jure quoque Civili reprobantur tanquam iniquæ leges hujusmodi. *Cap. Ecclesia. Cap. Quæ in Ecclesiis. De constitut. Cap. Noverit. De sent. Excommunic. & in plurib. leg. Cod. De Sacrosanct. Eccles.*

188. 2. Asserendum, Clericos quoad vim *Directivam* in conscientia teneri legibus Civilibus justis ac necessarijs, quæ pro totâ Communitate populi latæ, materiam Clericis, alijsque Civibus communem respiciunt, & absque indecentiâ, & iniquo, Clericorum gravamine ab his servari possunt. *Sotus lib. 1. de Iust. g. 6. a. 7. in princ. Bellarm lib. 1. de Clericis. c. 28. Panormit. in Cap. Ecclesia n. 13. De constit. Nam ejusmodi leges per sacros Canones approbantur, & quasi canonizantur in ordine ad Clericos; juxta Cap. Innotuit. De arbitris. Cap. Lege. Cap. Si in adiutorium. Cap. De Capitulis. dist. 10. & Cap. Cum ad verum. dist. 96. Ubi & alijs in locis ait Papa, se curare, ut Imperatoris leges serventur, item Pontifices ipsos pro cursu temporalium rerum temporalibus seu Civilibus uti legibus, quæ proinde à Clericis servandæ sunt in his, quæ nec sunt contra Canones, nec Clericis præjudicant. Ex quâ sacrorum Canonum provisione infertur, personas Ecclesiasticas obligari legibus Civilibus, non quâ Civiles ac Imperatoriæ sunt, sed ratione sacrorum Canonum, eas pro Clericis approbantium, & ratione juris naturalis, vi cujus Clerici tanquam cives in materia merè Civili, suo tamen statui conveniente, obligantur habere uniformitatem cum cæteris concivibus. Ex quâ ratione, si lex Civilis taxaverit rei cujusdam v. g. tritici precium, obligantur Clerici ex justitiâ ad non vendendum carius: similiter si Magistratus sæcularis contractui alicui Civili, seu confessioni Testamenti præscripsit certam solennitatem substantialem, hæc omisiâ, Clericorum quoque contractus seu Testamenta, exceptis tamen pijs legatis, sunt nulla & irrita.*

189. Asserendum 3. Leges Civiles non posse unquam Clericos obligare quoad vim *coactivam*: sunt enim extra jurisdictionem Magistratûs sæcularis, gaudentque immunitate Fori, nec adeo ab illo cogi possunt ad suatum legum observationem, vel ob harum transgressiones puniri: ne tamen delicta in ipsis maneant impunita, Prælati Ecclesiasticis incumbit, pœnam sumere de Clericis temerè violantibus leges Civiles, quamvis non oporteat, imponi pœnam hisce legibus designatam, sed aliam arbitrio Iudicis Ecclesiastici taxandam. *Covarr. lib. pract. quest. 6. 23. in fine. Salcedo in Pract. Crim. cap. 66.*

#### ILLATIO II.

190. **E**Xponitur; In quantum exemptio Clericorum à collectis sæcularis potestatis habeat locum?

Inprimis namque certum est, omnes Ecclesias & Ecclesiasticas personas à debito solvendi tributa, exemptas esse, quoad bona non tantum Ecclesiastica, sed etiam patrimonialia. *Ex Cap. 1. De immunit. Eccles. in 6. Clement. Præsenti. De Censibus. Auth. Item nulla communitas. Cod. De Episcopis & Clericis. Leg. Sanctimus. Cod. De Sacrosanctis Eccles. Quam à solutione gabellarum immunitatem esse Juris non tantum humani Canonici, atque Civilis, sed insuper Divini, constat ex verbis Concil. Trident. Sess. 25. De Ref. c. 20. decretentis: Ecclesie, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonis sanctionibus constitutam esse.*

Dicendum 2. In casu aliquo extraordinario posse ac debere Clericos solvere gabellas, quando scilicet causa contribuendi immunitati ac directè in particulari æquè tangit Ecclesiasticos, atque Laicos, dum v. g. prædones agrum, in quâ Ecclesia possessiones habet, devastantibus, pro his expellendis tributum imponitur; quo casu, licet aliqui existiment, Clericos non debere contribuire, nisi Laicorum bona non sufficiant, atque Summi Pontificis obtineatur consensus: attamen opposita sententiâ à Doctoribus communiter tradita est simpliciter tenenda; quia causa contribuendi tunc concernit non tam publicam, quàm singulorum Civium & Clericorum privatam utilitatem. Atqui Capitulum *Adversus. De immunit. Eccles.* exigens, ut pro tributis per Clericos solvendis consulatur Summus Pontifex, tantum loquitur de gabellis publicam utilitatem concernentibus. Ergo æquitati consonum est, ut Papæ consensus non obtento, propriæ utilitatis, ac necessitatis causâ, in illo casu Clerici contribuunt.

Dicendum 3. Si causa contribuendi sit utilitas publica, per se ac directè tendens in Bonum Communitatis, ac solum remotè ac oblique querent cedens in Clericorum commodum, veluti refectio murorum & pontium Civitatis, seu custodia urbis, tunc personas Ecclesiasticas non posse ac debere solvere tributa, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existerent conferenda. *Ex clavis verbis Capit. Non minus. De Immunit. Eccles.* Et si verò ad istam tributum concessionem olim Episcopi & Clerici ex Cathedrali, alijsque Urbis Capitulis atque Vicarijs Forensibus consensus sufficeret. Nihilominus ex Jure noviori *Capit. Adversus. eod. tit.* requiritur etiam consensus Summi Pontificis ob aliquorum imprudentiam hoc sibi relevantis: circa quod aliqui Doctores adeo sunt rigorosi, ut dicant, Cleri ac Episcopi in illas contributiones consensum esse invalidum, inconluto Romano Pontifice: alij tamen, probabilius putant, esse validum, sed illicitum, nisi forte ob



urgentem necessitatem non possit adiri Papa, vel dispositio dicti capit. Adversus. quoad licentiam a Summo Pontifice in illo casu petendam, alicubi sit legitime abrogata.

193. Dicendum 4. Si causa contribuendi sit publica totius Regni utilitas, quæ remotissime solum cedat in commodum Clericorum, tunc gravissimam urgente, v. g. bellorum necessitate, atque bonis Laicorum ad remedium adhibendum non sufficientibus, tenentur etiam Clerici, Papæ tamen, & Cleri Diocesani consensu prius obtento, contribuire ad huiusmodi necessitates. Probatur ex leg. Nullus. Cod. De cursu publico. ubi disponitur: nullum debere habere immunitatem tempore expeditionis, licet sit domus Regia, aut Sacrosancta Ecclesia. Quæ lex non tantum non corrigitur, sed servatis conditionibus supra positis, adjuvatur & approbatur a Cap. Non minus. & Cap. Adversus. De Immunit. Eccles.

DISQUISITIO XII.

In quo censu habenda sit Gallicana libertas prætena adversus jura Ecclesiastica?

S. I.

1. Hujus disquisitionis iudicium haud difficulte ferri potest ex antecedentibus, cujus tamen accuratior discussio consulto videtur facienda ex occasione librorum, quos Petrus de Marca scripsit tam de concord. Sacerd. & Imper tam de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Cùm enim ex voluminibus à Petro Puteano editis, superiusque examinatis non Roma duntaxat, sed Gallia quoque fuisset vehementer commota, iustus fuit præinsinuat de Marca doctrinam ijs libris contentam eatenus temperare, ut schismatis equidem removeret suspicionem, sed libertates Ecclesiæ Gallicanæ integras, ac illas servaret. De hoc igitur temperamento dispiciendum hic est: An prætena Gallicana libertas cohæreat cum Iudiciis Ecclesiasticis, & in quo propterea censu habenda sit?

S. II.

Summarium ex Petri de Marca axiomatibus circa Regis Franciæ erga causas Ecclesiasticas prætena jura collectum, unâ cum earundem refutatione, conclusionemque super ijs reflexivâ.

2. Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 11. cap. 2. axiomatibus Gallicanis ex Petro de Marca petitis peraccommodè præmittit sequenti animadversionem. Quod Christus, inquit, tanquam officium, & debitum Principibus erga Ecclesiam imposuit, hoc politici tanquam jus & auctoritatem in ipsam interpretantur, & quos ille sponsæ suæ constituit custodes, protectores, & defensores, ipsi arbitros, duces, ac dominos

efficiunt, quam ut matrem colere, audire, ac sequi Christiani omnes tenentur, ei ut ancillæ præcipere, ac leges ponere suaerent. Quid enim aliud est Principibus tradere facultatem, non solum Ecclesiam ad Concilia convocandi, sed etiam Concilij tractanda proponendi, ita ut de alijs deliberare non liceat: ordinem ac modum præscribendi, à quo si recedatur, inane sit, quidquid fiat: decreta Concilio unconfirmandi, sine qua confirmatione robore careant: iudicata suspendendi, donec novo iudicio, aut novo examine probata fuerint: Concilia, ex quibuslibet Episcopis constituendi, jurisdictionem aliunde non habentibus conferendi: causam unius Provinciæ, alterius Provinciæ Episcopis designandam committendi: aliaque similia præstandi. Hæc sunt ex Petro de Marca Imperatorum Romanorum in Ecclesiam jura. Præsenferat, illa omnia, si crudè dicerentur, horrorem Christianis animis incussura. Quamobrem cap. 1. in finem. 1. commotioni occurrere festinat his verbis, iam supra indicatis; Quæcunque apud veteres Principes in causis olim vigerunt, locum apud vos habere non possunt. Quid ni etiam apud vos? An quia hæc olim à Principibus usurpata sunt, contra Ecclesiæ libertatem, & jura, per vim, ac sine legitima facultate? Nequaquam. Sed quia inquit, immutata aliquantisper disciplina antiquam illum ordinem nullo pacto advertere potest. Itaque si rursus immutetur aliquantisper disciplina, quæcunque apud veteres Principes olim vigerunt, locum apud Gallos habere poterunt; quoniam, ut ait Marca cap. 5. initio. Quemadmodum Imperij Romani mole in varias partes dissectâ, Galliarum provinciæ in victoria præmium Francorum Regibus, Divini Numinis auspicijs, cesserunt, ita etiam imperij jura plene, & integre cum illis communicata sunt.

3. Ex ijs pleraque adeo manifestâ cum rationis, ac fidei regulis pugnant, ut propoliuisse, confutasse sit. Et sane ipsum etiam auctorem illorum puduisset, nisi pro suo more interjectis aliquibus verbis emolliisset. Ne quis autem arbitretur, ea in usum evocari posse, expendenda sunt exempla, quæ profert; raro enim aliud genus probationum adducit, aut adducere potest. Pro causis tam malis militare nequeunt rationes, quarum falsitatem, aut debilitatem detegere in promptu non sit.

Axioma primum Petri de Marca.

Hic Auctor locis in progressu citandis prætenedit, Regibus esse speciale jus erga convocationem Conciliorum etiam Oecumenicorum, ac præsentiam, præsentiamque in illis.

Responsio.

4. Auctor dicti tract. lib. cii. cap. 2. à n. 5. ita responderet. Licet consensus Principum ad congreganda Concilia de facto necessarius sit, ac possint ipsi etiam de jure illorum convocationem impedire, cùm iustis de causis metuunt, aliquid contra sua, vel Regni jura molliendum, ut tempore Ludovici Pij. & alias, quam.